



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Isagoge Ad Amorem Divinvm

**Pennequin, Pierre**

**Antverpiae, 1661**

Tractatus De Secessu, vacatione à negotiis ad melius vacandum Deo, &  
rebus animi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47132)

## TRACTATUS

De Secessu, & vacatione à negotiis ad melius vacandum  
Deo, & rebus animi.



Hunc Tractatum brevius absolvo per cōsiderationes potius, quā meditationes digestū, alio quā in Gallico institueram modo; quod illic rudioribus, scriberem, hīc verò aut jam meditationi assuetis, aut qui illas ex varijs seligere possint, ad eum, quem in isto secessu scopum sibi præfixerunt opportunas: quæ hīc scribo, servient lectioni extra Meditationem, aut etiam punctis quibusdam subministrandis, quæ cum legendo animum bene affecterint, meditando deinde & attentioni cogitatione ea ruminando, vehementiores faces admoveere poterunt, præsertim cū meditationi oratio conjungatur: rectè enim S. Bernardus Deum semper quærendum ait; *Qui nec satū adhuc inventus est, nec quari nimis potest, & orando fortè, quàm disputando dignius quæritur, & invenitur facilius.*

Lib. 5. de  
confid. in  
frat.

§. I.

De fructu hujus secessus ad  
amorem Dei excitandū.

Impedimentum amoris potissimum est mentis oculus pulvere rerum humanarū præpeditus, & voluntas earum affectionibus velut luto nimis immerfa. *Affectus, inquit S. Bernardus, jacent mole corporeâ prægravati, & luto herentibus desiderijs, sola interim arida, & tenuis consideratio prævolat: Unde fit, ut a surgamus ad amorem Dei animo non toto, sed ex parte, & parte modica nimis.*

S. Ambrosio anima nostra *duplex* est, hoc est bipartita, rationabile habens & irrationabile; & qui justus est, in hoc præsertim incumbit, ut unum ab altero sejungat & segreget: & rationem adfert alibi, quia delectationes sensuum faciunt, ut non semper erecta sit mens nostra, sed aliquando se inflectat: quod ubi accidit, non est utile, cum mentem occupet vitiorum aliqua confusio,

L.  
Quid à  
morem  
impedit.  
Iidem.

Con  
raic

fio, ferere tum aliquas cogitationes viriles, & fortiores, sed demum cum compressa fuerint, & mens requieverit, tunc seminario quodam disceptationis accepto virtutes possunt & bona opera germinare. Hoc est quod in hoc secessu intendimus, ut tum per cogitationum, considerationumque seminarium amoris divini germen adolescat.

L. de Noe  
& arca  
c. 11.

2.  
Simile de  
caeco cor-  
porali,  
in Ioan.  
Tract. 1.

S. Augustinus quam ad purgationem interioris oculi sit necessarius iste secessus, rectè ostendit comparatione ad oculum exterioriorem: Quomodo homo positus in sole cæcus, præsens est illi Sol, sed ipse Soli absens est; sic omnis stultus omnis iniquus, omnis impius, cæcus est corde: præsens est sapientia, sed cum cæco præsens est, oculis ejus absens est: non quia illi ipse absens est, sed quia ille ab ipsa absens est: quid ergo faciat iste? mundet unde possit videri Deus: quomodo si propterea videre non posset, quia fordidos, & saucios oculos haberet, irruente pulvere, vel pituita, vel fumo, diceret illi Medicus: Purga de oculo tuo, quid quid mali est, ut possit videre lucem oculorum tuorum: pulvis, pituita fumus, peccata & iniquitates sunt tolle ista omnia, & videbis sapientiam, quæ præsens est, quia Deus ipse est sapientia.

3.  
Confide-  
ratio pro-

Ipsè Simplicius Philosophus tantum tribuit sententiis quibus-

dam ab Epicteto in Enchiridio digestis, ut dicat eos, qui illis afficiuntur, & vitæ & moribus exprimerere conantur, posse animum in eam asserere libertatem, in qua à parente & auctore Deo producti fuerint, neque formidēt quicquam, neque de ulla re doleant, neque ulli deteriori naturæ serviant; qui verò illis non excitatur aut pungitur ut affectiones suas intelligat, & ad eas corrigendas nō stimuletur, eum non nisi apud Inferorum tribunalia corrigendum. Si paucula præcepta ad correctionem morum tantum posse creduntur, quæ lumine naturæ, & adiutrice Philosophiâ eruuntur: quid facient ea, quæ Christus verbum Patris & Lux mundi suis sequacibus ex arcanis sapientiæ æternæ deprompta reliquit, si animo curis vacuo, & ad meliora aspirante accuratiùs perpendantur.

phanz sa-  
pientie  
potens ad  
virtutem.

4.  
Potentia  
Christi  
doctrina.

Tanti momenti hanc considerationem existimavit S. P. Ignatius, ut homini sibi devinctissimo, à quo plurima beneficia acceperat (is erat P. Emanuel Miona) pro gratiarum actione hoc velut bonum ingens optet, & ad obtinendum suam operam sponte offerat, tanquam ad id, inquit, quod in hac vita possum sentire, & excogitare optimum.

5.  
Ex judicio  
S. Ignatii.

Cælitè ipsi ab iis, quos ingenti aliquo beneficio affecerunt,

S s s 3 hunc

Ex B. A. loysij cō- filio. Ex literis 32.

hunc aliquot dierum secessum, tanquam rem suis clientibus maximè salutarem efflagitant, inter quos est admirabilis Josepho Spinelli de Societate nostra à beato Aloysio sanitatis restitutio, & simul ad studium perfectionis sedulò accipiendam adhortatio, & quid ad id maximè faciat singularis declaratio: Laborabat Panormi dictus Josephus morbo incurabili, & jam à morte propiùs aberat, cum invocatus B. Aloysius adfuit. & primò loquelam, deinde gradiendi facultatem, denique perfectam sanitatē restituit: inter cetera verò ab ægrotò postulavit; ut singulis diebus renovaret propositum majoribus animis ad perfectionem propriam incumbendi. 2. Ut singulis diebus quartam horæ partem in oratione poneret, & semihoram iis diebus quibus ad Sacram Synaxim accessisset; hocque utrumque voto emisso firmaret. 3. Ut votum aliud adderet adeundi ubi perlanatus esset, Exercitia S. P.N. quod cum æger promississet, tum cœlesti unctione malè affectis partibus adhibilâ, omni morbo depulso, & subsidiis ad perfectionem consequendam, ultrò præsentatis, dataque manu dissuavianda, & productò super infirmum crucis signo, B. Aloysius cum Ioanne Berckmans, qui in his apparitionibus comes semper

fuerat, ex oculis disparuit.

Nihil hîc dico de B. Virgine, quæ ad istum secessum & mentis exercitationem Virginem aliam animavit, & ad illas veritates, in solitudine attentius considerandas, ac in ordinem redigendas, se non parum lucis S. Ignatio attulisse significavit.

Ne ergo abhorre secessum, tam cœlitibus charum, dæmonibus exosum, tibi verò singulariter fructuosum, & puta tibi dictum illud Hæc: *Vade intra in cubicula tua, claude ostia tua super te, abscondere modicum ad momentum:* & in ista solitudine intra in thesauros Domini, & ut ait Baruch: *Disce ubi sit sapientia, ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus, ut scias simul ubi sit longiturnitas vitæ, & virtus, ubi sit lumen oculorum, & pax.* Neque te paucorum dierum terreat solitudo, qua res animi tui componas, & securitati æternæ seriò provideas: Christiani olim in cavernis & speluncis latibula quærebant quibus tyrannorum atrocitatem declinarent: Sanctus Athanasius, dum Arrianorum rabiem devitat, quinquennium in sicca cisterna delitescit, uni cognitus amico, qui clam victum illi suppeditabat: & tu ut te contra dæmonum furias tuearis, & divinis armis subsidiis, paucorum dierum amicam solitudinem perhorrescis. **Benivenius nobilis medicus**

Ex B. Vignis. In vita P. Balthasaris Alarice. Cap. 11. Cap. 2. 6. Fulminis vis mirabilis. 7. Cura podagra mirabilis.

C. 11. de  
aditu.  
cus Florentinus patrem & filium  
vidisse se ait fulmine attonitos se-  
ptem dies sine cibo & potu eo-  
dem vestigio stetit immobiles,  
& pedetentim medicamentis ad-  
jutos mentis & corporis sanitatem  
recuperasse: si tu divini judicij ri-  
gorem, & fulminantem Judicis  
sententiam bene apprehenderes,  
libenter plures dies non tam at-  
tonitus, quàm ingenti metu per-  
cussus in istud tempus sollicitè res  
tuas, ut oportet, disponeres, &  
quâcumque posses industriâ Ju-  
dicis tibi animum conciliaris, &  
sancti timoris, nō necessitatis vin-  
cula te volentem cubiculi secreto  
secessui alligarent.

Colloq. 4.  
Narrat Majolus visum à se Me-  
diolani hominem Cisalpinum  
Pecchium nomine, qui ab illustri  
aliquot oppidorum Domino ini-  
micitia causa dum iter ageret, vi  
armata interceptus, & in sacco  
conjectus, ac ad arcem delatus in-  
que ima ejus parte conclusus, uno  
è famulis conscio, à quo singulis  
diebus panis frustum, & aquæ pau-  
lulum accipiebat, novemdecim  
annos exiguo lumine per specu-  
lam asperum in istis latebris ab-  
sumpsisse, & ab hærede illius, à  
quo captus fuerat, dum istud la-  
tibus amplificandæ domus gra-  
tia destrui mandat, non sine stu-  
pore inventum barba ad usque  
genua promissa, & capillis ultra  
humeros protensis cum omnium

admiratione eductum esse; à po-  
dagra, quâ dum in illam caveam  
conjectus fuit, laborabat, tum  
omnino, & reliquo deinde vitæ  
tempore liberam vixisse, quod  
ille tot annos propter alterius o-  
dium tam animosè tulit, tu pau-  
cos dies tuorum scelerum odio, &  
Deo placendi ac faciendi satis stu-  
dio accensus non feres? meliori  
multo sorte, sive victum spectes,  
sive libros, & alterius juvenis &  
dirigenti consuetudinem, qua  
subinde recreatus nescio quem  
puriorum de cælo auram respira-  
re te senties; & non podagra, sed  
majoribus multo animi malis libe-  
raberis: fierique, Deo dante, te-  
cum quod cum Italo altero fa-  
ctum fuit; qui ita memoriam  
mentisque sanum judicium ami-  
serat, ut amicos ab inimicis dis-  
cernere non posset, seque in urbe  
amicâ versari crederet, dum in ho-  
stili ageret, paucorum dierum  
quiete, humorum malignitate,  
qui venenatis vaporibus cere-  
brum obsederant, medicamentis  
dissipatâ, memoriam mentisque  
sanitatem recuperavit: nōne tu  
eodem laboras infortunio, qui  
inter amoris proprii salutis tuæ  
hostis infensissimi pestilentiam, &  
amoris divini tuorum bonorum  
studiosissimi delicias discrimen  
non agnoscis? an non putas tran-  
quillo paucorum dierum secessui  
tam corrupto malignis vaporibus  
judicio

Benivinius  
c. 47. de ab-  
ditu.

judicio medicinam esse quaerendam? experire quæso, expertusque gratias ages ut pluribus contigisse vidimus, implebiturque in te illud Dei apud Prophetam promissum *ponet desertum ejus quasi delicias, & solitudinem ejus quasi hortum Domini*. Vnum dumtaxat ex multis exemplum hujus rei confirmandæ gratia proferam in medium.

8. Mira conversio Mariæ Bonaventuræ. Maria Bonaventura sanctimonialis in Turri Speculorum Romanæ ex S. Francisca Romanæ sequacibus Virgo nobilis, uti cæteræ ex eodem contubernio, indolis generosæ, ad res spiritus virtutisque studium accurandum parum propensa, dummodo culpas graves vitaret, reliqua hominum judiciis, honorisque existimatione metiri solita: ad secessum, exercendumque sacris commentationibus animum ægrè inducitur; quæ tandem totam se ad Spartam illam excolendam Deo & uni de Societate à quo dirigeretur meditandi alioquin insueta fortiter obtulit. Vix primas considerationes de fine hominis, & mediis ad illum finem absolverat, cum divino igne succensa Directori suo dixit: O Pater non est ultra Deus irridendus: video quid à me exigat: volo ex integro ejus esse, totisque viribus incumbere, ut ad ejus majorem gloriam, brevi non qualiscumque, sed magna Sancta

evadam: deinde scripto manu propria exarato coram Deo protestata est, se nullum deinceps præter ipsum amare velle, nuntium omnibus rebus creatis mittere, tamque pura intentione in omnibus ejus voluntati morem gerere, ut si post vitam ejus obsequiis impensam ad inferos detrudere vellet, nihil contra obniteretur, hoc solum optans ut in se divinum beneplacitum impleretur; quod scriptum manu sua signatum lateri crucifixi inseruit; ac pari deinceps passu in reliquis progressa, omnibus divinis motionibus etiam in rebus difficillimis, paruit, linguæ, sensuumque diligentissimæ custodiæ incubuit, cogitationum evagationes cohibuit sui ferè semper victrix, & minorum lapsuum, quantum potest infirmitas humana, expers ad cruces, quæ se offerebant, excipientdas animosa, nunquam querula, nec levamentum quaerens; de alienis erratis nec inquirens, nec sermones miscens: colloquia cum sæcularibus, quantum necessitas permisit omnia declinavit, de verbis mordacibus contemptuque inde proveniente parum sollicita: omnibus reculis se spoliavit, etiam imaginibus & reliquiario ac crucifixo argenteo; sacco & corio aliquas dumtaxat reliquias inferens, quas collo gestaret: secessu absoluto, & exercitiis sine imposito

fito illum, quem jam descripsi in actionibus suis, quas altissimo charitatis sine dirigebat, usque ad mortem (quam anno post sanctissimè obiit) cursum tenuit: aliorum verba, contemptusque uni Deo placere studens semper flocci fecit, bis quotidie se flagellis verberavit, **p**aris, dum ægrotis inferuiss, ad exemplum S. Catharinæ Senensis aliorumque, ex ulcere manans sorbuit, ita sui domina, ut nihil cum anxietate expeteret, nihil cum animi perturbatione pertimesceret, imò in rebus aduersis, injuriis, & afflictationibus verbo vel factò irrogatis gestiret præ latitia, & majores optaret.

9.  
Per exercitia con-  
uersa.

In ultimo morbo diem illum benedixit, qui ad exercitia facienda secesserat, quòd tum demùm clariùs perspiceret, quantos inde fructus collegisset, addebat, si sanitati redderetur, se mensibus singulis illa repetere, ac iterare velle: obiit denique sanctissimè, & tum beneficiis in aliquas sanctimonialia ex eorum voto collatis, tum caelesti revelatione Virgini sanctissimæ facta cognitum est, quàm eximia in cælis beatitate fruereetur, ut meritò de illa dici possit: Consummata in breui explevit tempora multa.

Hæc ex opusculis P. Nicolai Lancitij, qui dictæ Virgini exercitia distribuit, & morienti adfuit;

quæ fusiùs descripta apud ipsum reperies opusc. spirituali de recollectione octiduana cap. 22. tomo ejus primo.

CONSIDERATIO I.

De fine hominis.

**V**ltimus proculdubio finis hominis, & totius simul uniuersi Deus est: qui propter se ipsum omnia operatus est, nec supra se habuit, quod respiceret, nec infra, quo subsisteret: cujus nutu res omnes, & totius uniuersi constat imperium; imperij verò terminus est rerù omnium complexio & sine termino æternitas. Jam vide quomodo nominatim erga hominem se habeat, quem creat, ut ait S. Bernardus, ad se participandum, afficit ad appetendum, dilatat ad capiendum, iustificat ad promerendum, accendit ad zelum, fecundat ad fructum, dirigit ad æquitatem, format ad benevolentiam, moderatur ad sapientiam, roborat ad virtutem, visitat ad consolationem, illuminat ad cognitionem, perpetuat ad immortalitatem, implet ad felicitatem, circumdat ad securitatem: quem quæso nobiliorem finem, sed & fructuosiore ac feliciorum optare posset vilis homuncio? Cogita quæso te cereum esse manu Dei formatum, qui ad ejus

I.  
Omnia  
propter se  
fecit Deus.

1. 1. 1.

2. 1. 1.

2.  
Homo ce-  
reus in di-

Tt gloriam

vino cul-  
tu consu-  
medus.

gloriam in hac vita consumendus  
lis, & gaude, si hunc finem pro-  
ximum ejus beneficio assequaris,  
ut ad ultimum deinde, qui in Dei  
possessione interminabili consi-  
stis, post hujus vitæ decursum  
proveharis.

Hunc utrumque finem cum  
ordine unius ad alterum comple-  
xus est, in Exercitiorum suorum  
fundamento S. P. N. Ignatius his  
verbis: Creatus est homo ad hunc  
finem, ut Dominum Deum suum  
laudet, ac revereatur, ei que ser-  
viens tandem salvus fiat. Finis vitæ  
est laus, reverentia & servitus Dei;  
finis patriæ, est salus æterna, quæ  
in Dei possessione & fruitione  
consistit: uterque est perfectio  
hominis, alter incompleta, in  
quantum viatorem perfectum  
constituit; alter completa homi-  
nem in comprehensoris statu,  
omnibus bonis beans atque per-  
ficiens.

3.  
Qui per-  
fecti di-  
cendi.

De verbis  
appli. serm.  
15.

Ita S. Augustinus perfectos &  
non perfectos ex mente Aposto-  
li appellari posse, & verè esse ex-  
istimat: perfecti, inquit, viatores,  
non perfecti possessores: perfe-  
cti viatores sunt, qui in via bene  
ambulant. Quid est ambulare?  
proficere: semper tibi displiciat,  
quod es, si vis pervenire ad id  
quod nondum es: semper adde,  
semper ambula: nam, ut ait alibi,  
perfectum viatorè possumus di-  
cere, cujus bene promovetur ac-

cessio, quamvis non perficiatur  
nisi fuerit facta perventio. S. Ber-  
nardum si audimus, perfecta eo-  
rum quæ retro sunt oblivio, &  
perfecta in anteriora extensio, ip-  
sa est hominis justii in hac vita  
perfectio.

Omnes Patres omnia ex majo-  
ri minorivè ad hunc finem accel-  
sione hominis perfectionem &  
felicitatem (quod etiam apud E-  
thnicos Philosophos locum ha-  
buit) metiendam existimant. Cæ-  
lius Rhodiginus Plotini Philoso-  
phi ad extremum vitæ morbo la-  
borantis verba, auribus litteris, vel  
si quid aur pretiosius, ascri-  
benda arbitratur: ad eum cum  
Eustachius invifendum venisset,  
Adhuc, inquit, te expecto, atq;  
equidem jam adnitor, quod in  
nobis divinam est, ad divinum  
ipsum, quod viget in universo,  
redigere. Præter hoc ita cæ-  
tera despiciebar; ut animam  
in corpore re tam despiciabili  
velut alligatam detineri pude-  
ret, ac proinde quibus esset or-  
tus parentibus, quavè patriâ,  
nunquam æquo animo narrasse,  
cumque Ammonius ejus discipu-  
lus obsecraret, ut imaginem sui à  
pictoribus aut plastris exprimi  
permitteret, omnino abnuisse.  
Quasi verò, inquit, non satis sit  
hanc imaginem, quam natura no-  
bis circumdedit tam, diu tulisse, ut  
etiam posteris spectaculo sit relin-  
ctiam



quenda. Sed magnificentius illo locutus mihi videtur in hac materia Seneca: Non quæram quis sit artifex hujus mundi? Quæ ratione tanta magnitudo in legem, & ordinem venerit? non quæram unde descenderim? quò hinc iturus sim? quæ sedes expectet animam solutam legibus servitutis humanæ? veras me cælo interesse? jubes me vivere capite demisso? major sum, & ad majora genitus.

Epist. 65.

In Sententijs.

Serm. 2. ad Fred.

Finis ergo noster Deus est, ad quem ait S. Bernardus non omnes uniformiter gradiuntur: quidam enim passu, sicut illi qui terrenorum curis impliciti, vix aliquando respirant, ut Domini recordentur: quidam modesto incessu, sicut hi, qui servitio Dei mancipati, Deo quidem serviunt, tamen erga seiplos indulgentiores existunt: alij veloci, id est rapido cursu, sicut hi, qui super carne sua se intuentes celeriter proficiscuntur ad Deum, hoc solummodò cupientes in pace quiescere in idipsum. Quàm felices hi, quibus meritò dicitur à Psalmita: *Latetur cor quærentium Dominum, quærite Dominum, & confirmamini; quærite faciem ejus semper.* Quæramus veraciter, quæramus frequenter, quæramus perseveranter, ut nec pro illo quæramus aliud, nec cum illo aliud, sed nec ab illo ad aliud convertamur

facilius enim est cælum, & terram transire, quàm, ut sic quærens non inveniat, sic petens non accipiat, sic pulsanti non aperiat.

In hanc eandem sententiã Abbas Moyses duplicem finem eligit ex verbis istis Apostoli, *Habentes fructum vestrum in sanctificatione, finem verò vitam æternam:* scopus inquit est puritas cordis, quam sanctificationem appellavit, sine qua prædictus finis non poterit apprehendi: ad illam ultimè, ad hanc proximè defigendus est nostræ directionis obtutus, quò velut ad certam lineam cursus rectissimus dirigatur; ab hac si oculus mentis aliquando deflexerit, rursus ad illam revocandus, ut ad illam velut ad quandam normam rectissimè corrigatur.

Cassianus collat. 5. finis hominis duplex ex judicio Moysis.

Permitte ergo ut te verbis S. Augustini, ad quærendum Deum, tanquam summum bonum exhorter, quando ad hunc finem in hunc te secessum, abdidisti. Summum bonum tuum quære, ò anima: est enim bonum alteri, & omnes creaturæ habent aliquod bonum suum, integritatis suæ, & perfectionis suæ: interest quid cuique rei imperfectæ necessarium sit, ut perficiatur: quære tuum bonum; nemo bonus, nisi unus Deus: summum bonum hoc est bonum tuum: quid ergo

In Psalm. 102.

T t 2 deest,

6. deest, cui summum Bonum bonum est? Sūt inferiora bona, quæ aliis & aliis bona sunt: pecori quid bonum est, nisi implere ventrem, carere indigentia, dormire, gestire, sanum esse, generare: bonum est illi, & usque ad modum quandam habet boni sui mensuram tributam & concessam ab omnium creatore Deo. Tale tu bonum quæris? dat & hoc Deus: sed noli solum quærere: cohæres Christi, quid gaudes, quia socius es pecori? erige spem tuam ad bonum bonorum omnium: ipse erit bonum tuum, à quo tu in genere tuo factus es bonus, & omnia in suo genere facta sunt bona.

### CONSID. II.

#### *De medijs ad hunc finem à Deo homini liberaliter concessis.*

I. **D**E illis ita loquitur S. Pater: Reliqua supra terram sita creata sunt hominis ipsius causa, ut cum ad finem creationis suæ proficendum juvent unde sequitur utendum illis, vel abstinendum eatenus esse, quatenus ad profecutionem, finis vel conferunt, vel obsunt. S. Augustinus Deum in Soliloquijs suis alloquens: Exteriora, inquit, pro corpore creasti, corpus pro anima, animam pro te, ut tibi soli

ferviret, tibi soli vacaret, possidens te ad solatium, cætera ad servitium: ex quibus sequitur res corporis ad altiorem finem dirigendas; neque tam assentiendum Salomoni, qui Deum rogabat ne paupertatem; nec divitias daret, sed dumtaxat victui necessaria; quàm animo ad utrumque parato cum S. Paulo dicendum *Scio abundare, & penuriam pati*; scio non ex me; sed Deo intus me docente didici, in quibus sum sufficiens esse: ubique & in omnibus institutus sum ab eodem magistro, ut omnibus occurrentibus utar ad finem mihi à Deo constitutum. Multum hoc æstimat S. Thomas commentario in hunc locum, quia nihil æquè demonstrat, inquit, mentem hominis perfecti, quàm quòd sciat uti quolibet statu: sicut enim est bonus dux, qui in quolibet exercitu operatur secundum exigentiam ejus, & corarius, qui ex quolibet corio facit optimos sotulares, sic ille perfectus, qui scit uti quolibet statu, ut in magno non elevetur, & in minimo non deiciatur; ad hanc perfectionem conniti nos oportet, si in usu mediorum ad finem æternum aberrare nolimus.

Media enim quæ nobis ministrat Deus, alia ex ejus voluntate velut è bonorum perenni fonte in nos immerentes profuunt, neque à nostro assensu usu-

Quod hominum, & quod brutorum.

Prov. 30.

Philipp. 4.

2. Quis perfectus.

3. Dei liberalitas.

vè dependent. *Prævenisti nos*, inquit Psalmista, *in benedictionibus dulcedinis*. Non solum, immeritos, sed & malè meritos prævenit, ait S. Bernardus, ut dum adhuc filij sumus, iræ & operamur opera mortis, ipse cogitet super nos cogitationes pacis, & ne petentibus quidem, imò & impetentibus; non invocantibus, sed provocantibus; non interpellantibus, sed etiam interpellantibus, spiritum bonum, spiritum vitæ, adoptionis spiritum largitur; quid illi animæ dulce sapirat, cui misericordia tanta non sapit?

Ad aliorum mediocum cognitionem, quorum usu meliores fieri possumus, & ad beatum finem gradum facere, non parum lucis adferre posse videtur rerum diviso, quàm primo Enchiridij sui capite ponit Epictetus. Res quædam, inquit, in potestate nostra sunt, quædam non sunt; in nostra potestate est opinio, appetitio, desiderium, averfatio, & uno verbo omnes nostræ actiones: non verò corpus, pecunia, gloria, imperium, verbo ea quæ non agimus omnia: ea verò quæ in nostra potestate sunt, libera sunt natura, nec impediri possunt; alia verò quæ potestatis nostræ non sunt; infirma sunt, servituti, & impedimentis obnoxia aliena.

Ex quibus intellige cogitationum, & appetitionum, ac desi-

deriorum bonum usum in tua esse potestate, meritoque hortatum esse unum è nostris in procinctu martyrij cæteros Confodales, ut alerét cogitationes sublimes dignas filiis Dei, ut olim à Patre Bathazare Alvarez in tyrocinio fuerat edoctus: nec sine causâ moneri nos à S. Anselmo, ut cordi nostro velut malæ bonum fructum, non paleam inferamus: & quendam à S. Augustino cum fundamento per epistolam castigatum, quòd ingenium suum scypho aureo à Rege donato comparat, sordibus & vanis cogitationibus impletet.

Quam latè patet hic bonus interiorum operationum usus, què à nobis efflagitare videtur Deus, dum dicit: *Fili præbe mihi cor tuum*: huc veniunt omnes virtutum habitus, huc orationum, & elevationum mentis in Deum frequens usurpatio, huc in meritorum Christi thesauros per fidem, spem, & charitatem felix ingressus & participatio; quæ omnia, nisi culpâ nostrâ, & negligentia, atque socordia impediri non possunt.

Sed & illa, quæ in nostra potestate non sunt, cum impediuntur, aut in nolentes incurrunt, quantum nobis boni usus ad vitam æternam suppeditant: Unde bene monet Epictetus, nos in hac vita velut fabulam agere, in qua partes à Deo distribuuntur,

5.  
Interni actus sunt in potestate nostra.

6.  
Et externarum usus.

Cap. 24

nostrum esse personam nobis assignatam bene effingere, non verò eligere: si mendicum agere te voluerit, fac eam personam ingeniosè repræsentans; item si claudum, si principem, si plebicum: item in illis quæ accidunt, fac ut non postules ea accidere ut vis; sed potius ita omnia evenire, ut Deus vult.

7. Itaque verum est illud Ambrosij: Beatitudo hæc præparari potest, possideri non potest. Eam verò præparari labore, non requie rectè monet S. Augustinus:

In Festo S. Laurentij.

Non est, inquit, requies, ubi queritis eam: beatam vitam queritis in regione mortis; quomodo enim beata vita, ubi nec vita? quamdiu in corpore velut in quodam ergastulo detinetur animus, tamdiu quocumque se vertat, si rebus & eventibus bene uti velit, id sine labore nunquam assequetur. Unde rectè S. Bernardus: Nemo nostrum nisi in carcere, sine cruce interim nemo: quod ipsum S. Tereciam docuit Christus, dum illi dixit, tempus fruendi hic non esse, sed laborandi & inter labores amandi. Vides, inquit, S. Paulum semel dumtaxat raptum ad cælum & ibi gaudia cælestia prælibasse, cæterum in laboribus assiduis vitam traduxisse: vides idem me institutum tenuisse, & semel dumtaxat in monte Thabor aliquid jucunditatis gustasse:

Declamatio super Ecce nos.

cùm me vides inter brachia matris, non existimes absque doloribus illam meis amplexibus frui: habet gladium Simeonis, quo ejus anima transfoditur: adfert præterea exempla Anachoretarum, qui non requiem in solitudine, sed patiendi pro Christo materiam quaesierunt, quam jejuniis aliique corporis castigationibus, & continuis cum Dæmone & veteri homine certaminibus sunt assecuti: unde concludens ait: Crede filia, quò plus ferenda Pater meus alicui tribuit, eò majori illum amore prosequi: & quod ego amoris in te mei luculentum argumentum dare possim, quàm si eorum, quæ pro me, dum in terris agerem, elegi, te participem faciam: animo tuo altè imprime verba ista, *Non est servus major Domino suo*. Vide jam quàm bene usà sit sanctissima illa Virgo, quæ nolebat vitam nisi ut pateretur, & exclamabat; Aut pati, aut mori.

Ex his patet quàm ingens singularium mediocrium ad finem æternum multitudo unicuique nostrum sit in promptu, si illis bene uti velimus: videmus aliquos vel uno die sexies mille amoris actus ingeminasse, alios uno pariter die toties & amplius vota renovasse: alios versiculum *Gloria Patri*, alios petitionulam orationis Dominicæ, *sicut voluntas tua sicut in celo & in terra*, ad singulas

gulas respiraciones pronuntiasse, laborioso quidem conatu & potenti fretos Dei auxilio; sed cui Deus subministrando non est defuturus, si nostris ipsi partibus non desimus.

Alia verò media, quæ in rerum nobis adversantium bono usu consistunt, quàm frequentia, bone Deus! Dat Deus nonnullis certamen forte, ut vincat, dat dæmon, dat naturæ nostræ corruptio, dant homines quibuscum agimus, dant res creatæ cæteræ corpori incommoantes: ut meritò dixisse videatur Job: *Si bona suscepimus de manu Domini, mala etiam cur non suscipiamus* tanquam potiora ad promerendam æternam lauream media, & adjuvamenta.

CONSID. III.

*Quàm multi malè utantur medijs ad salutem procurandam nobis datis.*

**M**onet nos Spiritus sanctus, ne simus de numero stultorum, quos innumerabiles esse ait: *Stultorum infinitus est numerus.* Quod & ipse Tullius licet cæcus inter stultos advertisse videtur, dum ait: *Stultorum plena sunt omnia.* & antè Cleon, dum dixit:

Stultitia majore ex parte dominatur. An non stultum existimares, qui candelam multis aureorum millibus emptam quærendæ aciculæ, aut paleæ gratiâ consumeret? an non similes, qui lumen rationis & mentem à Deo datam, & vitæ insuper portionem pretiosissimam rebus vanis aut lufibus consumunt?

An non inter stultos numerares illum, qui ut famulo, quem amat, aut equo, cujus amore capitur, bene sit, fortunatum, & stultus, imò & vitæ periculum adit? an non id agunt, qui peccati gravioris periculo se exponunt, ut corpori animi mancipio & velut vectori faciant satis?

Stultum procul dubio eum censes, qui negotiandi causâ in aliud regnum iter faciens, pecuniis se onerat, quæ isthic nihil valent; imò propter quas qui illas deferunt, capitis discrimen incurunt: quot operibus vanæ gloriæ verme corrolis, aut alterius perversæ intentionis notâ deformatis nos per dies singulos oneramus, quæ non tantum in cælo pretio carent; sed ob quæ etiam pœnæ & supplicia reponentur? & propterea stultorum numerum meritò augemus.

Fac aulam regiam variis arcu-  
lis plenam, quarum aliæ gemmis  
magni pretij, aliæ auro refertæ  
sunt, in solatium pauperum, qui  
intro-

2.  
Qui creaturis abutuntur.

3.  
Qui divina libertate non utuntur.

1.  
Stulti qui & quam multi.

intromittentur; alia verò rebus nihili oculos externâ specie delinquentibus in miserorum stultorumque decipulam, ad quod etiam faciunt hinc inde imagines, statuarumque collocata oculorum illecebræ, & oblectamenta. Fac beneficio regio in aulam istam pauperem intromitti, ut exiguo tempore inde exportet, quod levandæ paupertati conducibilis judicavit: illum verò oculorum detentum voluptate tempus deterrere, & tempore consumpto, inde a quæ pauperem, atque intromissus fuerat, detrudi: an non merito ille suam accusaret dementiam, quod tantâ levandæ paupertatis in omnem vitam opportunitate usus non fuerit? Hæc plurimorum mortalium est stultitia, qui sensuum blanditiis illaqueati gratiæ divinæ ultrò oblata, & ad opus excitati non cooperantur, & divitiis æternitate totâ perennaturis miserabiliter excidunt.

*Declamatio  
sup. Ecce  
nos-*

4.  
Stultus  
quintu-  
plex apud  
S. Bernar-  
dum. \*

Non possum prætermittere quinque genera hominum, quorum stultitiam nobis depingit S. Bernardus. Vidi, inquit, aliquando quinque viros, quidni Phreneticos arbitrer? primus siquidem buccis tumentibus marinam masticebat arenam: secundus sulphureo adstans lacui, exhalantem teterrimum, fetidissimumque gestiebat haurire vapo-

rem: tertius fornaci incubans vehementer accensæ micantes scintillas hiantibus excipere faucibus lætabatur: quartus supra pinnaculum templi residens, levioris auræ spiritum aperto attrahebat ore, & si quo minus influere videretur, stabello sibi ventum ipse ciebat, ac si totum speraret aërem deglutire: quintus seorsum positus ridebat ceteros, ipse quoque ridendus, & maxime proprias enim carnes incredibili quodam studio fugere laborabat, nunc manus, nunc brachium, nunc alias partes applicans ori. Miseratus homines, causamque miseriæ sciscitatus à singulis, unâ omnibus esse reperi; validissimam utique famem; in primo auri & argenti, in secundo voluptatum carnis, in tertio sanguinis & vindictæ, in quarto vanæ gloriæ, in quinto propriæ existimationis, quam ceteris despectis, ex ingenij animi dotibus, & actionibus unde quaque corradere nititur: & in hoc stultè, quia istis anima miserè occupari potest, repleri non potest: vis pervenire ad summum bonum, incipe ista transilire.

Sed ad subtiliores in mediis aut admittendis aut abjiciendis decipulas, quibus animæ selectiores, & virtutis studium professæ capiuntur, videamus. Hujus rei exempla Abbas Moyses complura profert in medium, dum primò

5.  
Alij in S.  
Scriptura  
stulu.

ex

ex Scripturis sacris Saulem placandi Dei per sacrificium cupiditatem Samuelis præcepto, & obedienciæ ostendit prætulisse, & malâ electione Deum, quem conciliare sibi putaverat, contra se irritasse; & Regem Achab, dum parcendo Bennadab Syriæ Regi clementiam affectat nec Dei mortem & sanguinem captivi Regis deposcenti morem gerit, deinde morte inexpectatâ, & cruentâ castigatum, ut meritò in mediõrum electione ad exposcendum divinum lumen sit adhibenda humilis & supplex deprecatio.

Biduo Abbas Joannes jejunarat, & cum ad refectionem accederet, apparens dæmon specie Æthiopis, atque ad ejus genua provolutus; Indulge, inquit, quia ego tibi hunc laborem indixi. Itaque vir ille tantus, & in discretionis ratione perfectus, sub colore continentia incongruenter exercitæ intellexit, se ob hoc calliditate diaboli circumventum, talique distentum jejunio, ut lassitudinem non necessariam, imò etiam spiritui nocituram fatigato corpori superponeret; atque ad hæc devitanda præter orationem etiam senioris consilium exquirendum censebat.

Atque hunc omnem malum usum mediõrum, quæ alioquin bonitatem induere possunt, ab aliqua radice vitij nondum in-

nobis edomiti provenire alibi ostendit: verbi gratiâ cum in similitudine constituti adventum fratrum vel brevissimam eorum moram, cum quadam æstuantis animi anxietate suscipimus, ineffic in nobis vivacissimum impatientia fomitem noverimus. Cum verò cujusdam fratris speramus adventum, si eo pro necessitate aliqua demorante, vel tacita indignatio nimiam ejus culpaverit tarditatem, & mentem nostram immodicæ expectationis sollicitudo turbaverit, iræ atque tristitia manifestè in nobis residere vitia conscientia nostræ probabit examen. Item si fratre codicem ad legendum vel aliam aliquam rem ad utendum postulante, aut nos illius petitio contristaverit, aut illum negatio nostra repulerit, dubium non est nos adhuc avaritia seu philargyria laqueis impediri.

Quot, bone Deus! similes bene agendi opportunitates, & media augenda in nobis divina gratia, gloriæque promerenda per dies singulos sese offerunt; quæ à viris vigilantibus, & suarum affectio-  
*Paratum cor meum Deus, paratum cor meum;*  
 quia, inquit, invenire est hominem

Vuu nem

Collat. 19. c. 12.

8. In omnem virtutis exercendæ occasione paratos nos esse oportet. In parvis serm.

Collat. 1. c. 3.

Collat. 2. c. 21.

6. Etiam in piis exercitiis reperitur stultitia.

7. Et hæc stultitia ab indo mita passione vitur.

nem semel quidem paratum, non tamen secundo: si dixerit ei Deus: *Ejice ancillam & filium ejus*; dico autem opera carnis, non cunctatur: si dixerit: *Immola mihi filium tuum, quem diligit Isaac*, hoc plane jam patienter audire non potest, <sup>1.</sup> fraternæ utilitatis aut unitatis gratiâ spiritualis videatur studij sustinere detrimenta; cum tamen, ut notat, in hoc sacrificio non Isaac, sed aries contumaciæ juguletur.

#### CONSID. IV.

##### De bono usu temporis.

1.  
Tempore  
utendum.  
*Ecl. I. 4.*

*Hom de sa-  
me & sicci.*

*Eccles. 14.*

2.  
Est bonū  
donum,

**H**Oc summopere inculcat nobis Spiritus sanctus, hoc SS. Patres, hoc ipsa ratio. Fili, inquit, conserva tempus, & devota malo: quomodo quæso conservabis prætervolantem nisi bene urendo: Quemadmodum, inquit S. Basilius, fieri non potest, ut decursum fluvij sistas, ac aqua ejus ad res necessarias uti possis, nisi in primo occurso ubi se objicit, haurias: ita neque tempus: propterea idem Spiritus sanctus vocat tempus unius diei bonum donum; *Non defrauderis à die bono, & particula boni doni non te prætereat*: non permittas ut dies bonus, & donum Dei singulare vel exigua sui particula aut portione prætereat

sine fructu, & sic defrauderis ab emolumento, quod inde tibi provenire poterat: & hoc est quod S. Paulus monet: *Dum tempus habemus, operemur bonum.* <sup>Gal. 6.</sup> Quid habes quæso de tempore, nisi quod præsens est? nam præteritum tibi periiit, futurum nondum adeptus es: vigila ergo, & præsentis bene utere.

Nec obstat quod Apostolus <sup>Ad Ephe. 6.</sup> suadeat nos cautè ambulare, & tempus redimere, quoniam dies mali sunt: malos enim dies appellat, quia tentationibus, & periculis tum ab hominum malitia, tum à dæmonum infestationibus obnoxios, uti rerum transeuntium dispendio temporis compendium faciamus, monet; ementes Deo vacandi, animæque consulendi tempus, tum amicitia humanæ, quæ nobis bonas horas interdum suffuratur, tum fortunarum jacturâ: quomodo enim tempus malum, aut dies mali esse possunt, qui motu solis & lunæ conficiuntur, sublimi intelligentiâ moderatrice, & Deo luminaria ista magna, ut sint in signa & tempora, & dies & annos, ut Moyses loquitur, in firmamento cæli collocante? <sup>Dies mali qui dicuntur.</sup> Malos nos dies facimus malitiâ peccati, cum illis ad voluptates aut iniqua lucra, aut artes pessimas abutimur, aut otio inerti comburimus: malos longè alia malitia, quæ est afflictionis, rerum adversarum



farum incurfu excitara sæpiùs efficit, sed quos patientia & cum divina voluntate conformatio aureos facit.

Omniùm sapientum communis est sensus, nihil pretiosius esse tempore. Cælitès ipsi, ut aliquando B. Mechtildi dixère, felices nos vel eo nomine arbitrantur, quòd singula temporis momenta in augmentum amoris gloriæque divinæ possimus impendere: è contrà, quod maximè apud inferos damnatos torquet, ut viro sancto unus ex illis significavit, est temporis rei tam pretiosæ levis de causis facta, dum viverent ab illis jactura.

Inrer hujus sæculi sapientes, si Senecam audimus, quantum tempori pretium ponat, jure mirabimur. Cum velocitate temporis, inquit, utendi velocitate certandum est, velut ex torrente rapido nec semper casuro citò hauriendum; singuli tantùm dies, & per momenta præsentès sùnt.

Sicut amplæ, & regiæ opes, ubi ad malum dominum pervenerunt, momento dissipantur; at quamvis modicæ, si bono custoditæ sunt, usu crescunt; ita dicit de tempore judicandum: vitâ, inquit, si scias uti, longa est.

Omnia licet ingenia, quæ unquam fulserunt, in hoc unum consentiant, nunquam fatis hanc *humanarum mentium caliginem mi-*

rabuntur. Nemo invenitur, qui pecuniam suam dividere velit, vitam unusquisque quàm multis? Adstricti sùnt in continendo ga- trimonio, simul ad temporis jacturam ventum est profusissimi in eo, cujus honesta avaritia est.

Et quàm bene hoc notavit, quod passim accidit, ut tempus & vitam, quam ire non intelleximus, transisse sentimus, & tum demùm velimus incipere vivere cum desinendum est, uti contigit nepoti S. Brigittæ, cui illa cum horologio arenario, quod propemodum effluxe- rat, apparuit, ostendensq; quàm parum arenæ restaret, tantum, inquit illi, tibi restat vitæ: vide ad mortem te pares; si bene usus fuisses gratiis donisq; à Deo tibi concessis, longiùs vitam produxisses, gloriàmque divinam amplificasses. Cùm ille emendationem promitteret; Serius est, inquit illa, & disparuit.

Rectè S. Bernardus monet non esse amittenda tempora, & lucra perdenda: quia tempore nihil pretiosius, etsi nihil à plerisque vilius æstimetur, cùm nunquam reditura momenta nemo sibi perisse causetur: ac proinde subjungit: Sede, computa quid diebus singulis acquirere valeas; certus equidem apud Deum nullum omnino bonum irremuneratum fore, & sicut non capillum de cor-

Vuu 2 pore

*Declamat.  
Ecce suos.*

pore, sic nec momentum de tempore periturum.

5.  
Quis in  
vano ani-  
mam acci-  
piat?

Monet idem fratres de monte Dei Carthusianos, ut non in vano accipiant animam suam; quam in vano accipit, qui non vivit eam vitam, propter quam animam accepit: quâ vitam demum vivitur, dum continua intentionis actio ad intelligentiam Dei dirigitur, & indefessa affectio in amorem ejus: ut nulla unquam inveniat servum Dei dies, imò nec hora, nisi vel in exercitij labore, & proficiendi studio, vel in experientia dulcedine, aut fruendi gaudio: & quidem hæc esse potest alterna solitariorum occupatio, quos aliorum virtutem & gloriam vult admirari, qui ambidextri fortissimi (sicut Ahod ille iudex fortissimus Israël, qui utraque manu utebatur pro dextra) quamdiu licet, amant inuis vacare charitati contemplandæ veritatis, & cum necessitas vocat, vel officium trahit, promptissime vicem mutant, pro veritate adimplendæ charitatis.

In Ioan.

6.

Quis præ-  
textu vir-  
tutis tem-  
pus perdit.  
1. 10.

Amas, & fac quod vis, ait S. Augustinus, tempus bene impenditur, dum amor sancto donatur: sed cave ne amor tui, non Dei te foras educat, & incidas in illud vitium, quod à Cassiano notatur: Honestas, inquit, morbus ille (accediæ scilicet) ac necessarias suggerit causas fratribus, salutationes exhibendi, visitationesque infir-

morum, vel eminus, vel longius positorum: quædam etiam pia ac religiosa dictat officia, v. g. hanc vel illam parentum præsidio destitutam juvandi, pietatis opus esse eam frequentius invisere, magisque oportere in his operam impendi, quam infructuosè in cella consistere: atque hæc quidem non sunt reprehendenda, nisi fiant interdum, uti fieri posse S. Pater Ignarius annotavit, tædij vitandi gratiâ, temporisque fallendi, quod accediæ vitium est.

Inter temporis malos dispensatores eos ponit Seneca, quos nihil certum sequentes, vaga & inconstans, & displicens sibi levitas per nova consilia jaecat: qui in ultimos annos differunt sana consilia, & tum vivere velle incipiunt, cum desinendum est. Floruit sub Aëriano Similis vir fortissimus, qui postremum vitam septennium vacatione impetratâ in agris per ocium & quietem transiit, proinde moriens sepulchro inscribi iussit: *Similis jacet hic, cujus* Callian. l. 1. c. 1.  
*atas multorum quidem annorum*  
*fuit, septem quamvis tantum annis*  
*vixerit.* Catonis sensum vellem multi induerent, qui inter tres penitentia occasione, tertiam ponebat; si dies quandoque inanis & otiosa foret transmissa. Plat. in epist. vii.

CON-

CONSID. V.

De nonnullis impedimentis  
profectus spiritualis.

**I.** Impedit profectum spirituale ignorantia sui. *Osai 7.*  
**P**AUCA hęc feligam ex multis. *Apoc. 4.*  
**1.** Est ignorantia sui, & cęcitas in iis quę concernunt miserum statum interiorem: ut merito de illo dicatur: *Comederunt alieni robur eius, & ipse nescivit, sed & cani effusi sunt in eo, & ipse ignoravit.* quę omnia ostendunt statum interiorem debilem, & infirmum; & quod maxime dolendum, istam miseriam non cognosci, quod accidisse videmus Episcopo Laodiceę in Apocalypsi, qui dicebat: *Dives sum & nullus egeo, & nihilominus coram Deo erat pauper & nudus, & cęcus, & propterea verē miser & miserabilis, cui propterea suaderetur, ut emat aurum ignitum, & collyrio inungat oculos.* Possunt illi dicere quod Vates Regius: *Ad nihilum redactus sum & nescivi.* Hęc porro ignorantia provenit ex eo quod effusi in exteriora, interiora nostra non scrutemur, ut oportet, & aliorum de nobis bona existimatione contenti simus, cum tamen illa falsa sit, ut patet in altero illo Episcopo, de quo ibidem dicitur: *Nomen habes quod vivas & mortuus es.* Homo videt in facie, Deus autem in-

tuetur cor. Sumus ex illis, quos notat Seneca, qui neminem tardius conveniunt, quā seipso, qui ad alia semper evolant, quia secum esse non possunt; quibus multum proderit S. Bernardi monitum, ut frequenter anima ad se redeat, advocet rationem, convocet affectus, seipsum verbis conveniat, increpet minis, solliciter monitis, urgeat accusationibus: quia, inquit, cor meum dereliquit me, & necesse habeo ad meipsum, imō ad alterum me loqui, atque id interim tanto amplius, quanto sum minus adhuc reversus ad cor, reversus ad me, & unitus mihi ipsi.

Quid verō in hoc regressu in teipsum propterea facere debeas, habes speciatim digestum à Richardo à S. Victore, viro in istis perspicacissimo. Primum est, inquit, ut redeas ad teipsum, intres ad cor tuum, discas aestimare teipsum. Discute quid sis, quid fueris, quid esse debueris, quid esse poteris: quid fueris per naturam, quid modō sis per culpam, quid esse debueris per industriam, quid esse poteris per gratiam; hęc porta, hęc scala, hęc introitus, iste ascensus, hac intratur ad intima; hac elevamur ad summa.

Secundum impedimentum est nimia animi mollities, nimia erga nos indulgentia, ac quod inde sequitur, non satis frequens de no-

V u u 3 bis

*De transg. c. 12.*

*In sent.*

*L. 3. de contemp.*

*2. Nimia animi mollities.*

*Ibidem.*

bis victoria, dicimus enim quod ille apud S. Bernardū: Ego quod possum, possum, & nihil ultra; tu si hęc sis, aliter sentias: sibi conluunt inutilia perizomata folliorum, nec audiunt illud Apostoli; *Omnia possum in eo qui me confortat*: in hoc summum ad profectum momentum ponebat S. P. Ignatius, & post eum S. Xaverius, si homo se semper vincere conaretur: & si bene attendis ad Christum in Apocalypsi Episcopis ibi nominatis vias ad perfectionem aperientem; videbis illum omnes ad vincendum pręmio aliquo provocare. Atque ad hoc non spectandum, quid ex te possis; sed Dei subsidium semper petentibus in promptu esse: nam qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, quia scilicet à sua, quę potius infirmitas est, quàm fortitudo, transibunt in participatam Dei fortitudinem: sicut Paulus, qui expertus dicebat:

2. Cor. 10. *Cum infirmor, tunc potens sum*; ut & illi Israëlita; de quibus dictum est:

Heb. 12. *Convaluerunt ex infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum.*

3.  
Incon-  
stantia.  
*In osto  
punctis.*

Tertium impedimentum est inconstantia; quam stultorum propriam, ait S. Bernardus: Stultis, inquit, nihil diu placet; nam tales quod non habet cupiunt, & quod habent, fastidiunt; inchoata ante consummationem deserunt, &

inchoanda ante tempus apprehendunt: quod vitium nostrę naturę esse advertit Seneca: *Judicia nostra non tantum prava, sed etiam levia sunt; fluctuamus, aliudque ex alio comprehendimus; petita relinquimus, relicta repetimus, alternę inter cupiditatem nostram & pœnitentiam vices sunt.* & alibi: *Pręcipitamus, inquit, vitam nostram pręsentium tædio, futurorum desiderio: remedium hujus inconstantie est primò agenda ordinare, & stabilire, ut monet S. Bonaventura, quid primò, quid secundò, quid tertid sit faciendum, nisi fraternā charitate, aut aliqua necessitate aut obedientiā Majoris aliquantulum retardentur: in quatenus actionum ordinatione consilium Senecę, & Epicteti sequendum mihi videtur: Ille, Æstimada sunt, ait, quę aggredimur, & vires nostrę cum rebus, quas tentaturi sumus, comparandę: debet enim semper plus esse virium in latore, quàm in pondere; necesse est enim ut opprimant, quę ferente majora sunt. Epictetus verò, Si personam, inquit, quę vires tuas superat, indueris, non solum eam indecorè geres, verum eam quoque, quam sustinere posses, negliges: proverbium est: Ne matri plus filiorum sit, quàm lactis: hinc est illud monitum S. Augustini: quando aliquis non valet quod vult,*

Epist. 16.  
Epist. 160.

vult, desinat plus velle, quàm valet : quod secutum se ostendit S. Bernardus : Quoniam, inquit, quod volumus, non valemus, id vell: cogimur, quod possumus.

De patientia & conf. sacri.

Constanter itaque tene quæ præmissâ oratione prudenter ordinaveris ; & cave hîc artes dæmonis : Vide, inquit S. Ephrem, ne te interrumpat inimicus cùm volueris legere, tædium tibi adferens, teque in mentis distractionem conjiciens, ac dicens: Fac primum rem istam, quoniam & exigua est, sicque postmodum securior leges : hæc autem omnia suggerit, ut te ab occupatione impediatur, & abducat, Id S. Pater Ignatius etiam advertit, monetque esse proprium dæmonis, ex rebus longè positis disturbare propinquas, & ex spe majoris boni futuri, neglectum boni minoris, quod est ad manum, invchere. Hanc inconstantiam mirum in modum damnabat S. Antonius : Monachus, agebat, si paucis diebus laborat, & iterum relaxatur, & rursus laborat & inde negligit, hic nihil agit, nec patientiæ perseverantiam obtinet.

In vitis PP. l. 7, c. 27.

4. Ingrati. modo in Deum, 8, in Cant.

Quartum impedimentum est, ingratus erga Deum animus sibi que complacens, & arrogans ea sibi quæ Dei sunt : unde rectè monet S. Bernardus ; ut omnis anima quærens Deum, noverit se

præventam ab illo, & ante quæsitam, quàm quærentem, ne magnū bonum in magnum sibi detorqueat malum : sic enim, inquit, de magnis bonis mala oriri non minima solent, cùm facti eximij de bonis Domini, utimur donis tanquam non datis, nec damus gloriam Deo : ita profectò, qui maximi videbantur pro accepta gratia, pro non redhibita minimi reputantur apud Deum : verè & absque dubio, eò quisque pessimus est, quo optimus, si hoc ipsum quo est optimus, adscribat sibi.

CONSID. VI.

De gravitate peccati mortalis.

Peccati mortalis malitia ex Dei <sup>I.</sup> <sub>Peccati mortalis malitia petenda ex Dei odio.</sub>   
 æstimatione metienda, non ex hominis perverso judicio, qui bibit velut aquam iniquitatem, qui committit illud propter pugillum hordei, & fragmen panis: Deus verò ejus gravitatem ex pœnis, quæ hæctenus pro peccatis infligit ; ex Filij sui, qui illa in se susceperat, tormentis acerbissimis, ex punitione apud inferos æterna luculenter ostendit : nihil aliud bonitas illa odit, quàm peccatum. Sapientiæ 11. dicitur, quia nihil

nihil odisti eorum qua fecisti. & Vates Regius similiter canit : *Odisti omnes operantes iniquitatem.* quod odium in punitione Angelorum patuit : si quis enim geminam ingentis pretij, quam amaret unice, ob guttam veneni inspersam confringeret, & in ventos aut ignem dispergeret, diceretur merito venenum illud graviter odisse ; hoc fecit Deus in Angelis, quos etsi ob excellentiam naturæ summopere diligeret ; peccantes ferre non potuit.

2.  
Quod ostendit in punitione Adami.

Adamum verò, quem ita amabat, ut terrarum Dominum pacificum constitueret, eique ad singularem voluptatem locum deliciosissimum omni oblectandi animi & corporis suppellectile instrueret ; ubi peccati virus infecit, continuò in exilium abiecit, & ad spinas tribulosque corpus, animum verò ad multorum sæculorum lachrymas damnavit, posteritatemque iisdem ærumnis involvit ; quem propterea diem quo & Adamus peccavit, & ipsos eodem infecit, posteri omnes exercentur, ut unus ex illis dicat :

*Jerem. 20.* *Maledicta dies in qua natus sum.* & alter exclamat : *Utinam pereat dies illa, dies nebulæ, & caliginis, dies tenebrarum & turbinis, dies quam fecit Adam, quam fecit inimicus, qui dixit : Aperientur oculi vestri.* Et tamen quid fecit Adam si cum tuis peccatis ejus pec-

catum conferatur ? non fuit ille seductus, ut mulier, sed hujus amore subversus : optasset servare mandatum, quod sibi utile noverat, nisi mulieris amor ad consentiendum uxorium virum impulisset, quem multa etiamnum cælestis vindictæ exempla retinebant ; nec enim mulier, quæ jam comederat, aliquid à Deo pœnæ persenserat, & tu post Dei in peccatores iram tot supplicij contestatam peccare non desinis. Sed vide quomodo crescentibus peccatis, creverit etiã in Deo odium peccati, cū propter illud dicat : *Pœnitent me fecisse hominem, nec tantum pœnitent, sed & dolet reservato dumtaxat exiguo octo animarum manipulo tanquam novi mundi seminario.*

Verum nihil æquè ostendit odium Dei, quo fertur in peccatum, quàm innocentissimi Christi, qui hominum in se peccata susceperat, abjectio, & ignominia ac crudelitatis plenum supplicium : unde dicit Apostolus : *Factus est pro nobis maledictum: quia Maledictus omnis qui pendet in ligno.* Omnis, inquit Anselmus, etiam Filius : maledictus autem non à quocumque, sed à Deo, sicut lex loquitur : nisi enim Deus odisset peccatum & mortem nostram, non ad eam suscipiendam & delendam Filium suum mitteret. Quanta ergo malitia peccati, quæ  
Christi

In Christi  
passione.  
Ad Gal. 3.

Ita  
effi

Christum, in quo benedicenda<sup>r</sup> erant omnes gentes, fecit ad horam maledictum Patris: qui enim, inquit, semper benedictus est in sua iustitia, maledictus ad horam fieri dignatus est propter delicta nostra in morte suscepta. Si Christus maledictum ob aliena peccata, quid eris propter propria? cogita verba illa contra peccatores fulminanda: *Ite maledicti.*

4. In supplicio damnatorum. Atque hæc maledictio Dei punitioneque æterna mirum in modum exaggerat Dei in peccatum odium. Deus, cujus bonitatis infinitus est thesaurus, naturam quam amat, quia peccato infecta est, odio supplicioque prosequitur sempiterno, & aliud argumentum quærimus malitiæ peccati? quæ bonitati divinæ quodammodo vim infert, ut ad istam pœnæ æternitatem ex iustitia descendat de suo bonus, ut ait Tertullianus, de nostro iustus?

5. Item ex effectu. Adverte præterea gravitatem peccati ex aliis annexis. 1. Si omnes homines & dæmones conspirarent in perniciem alicujus, & ut cum Job egerunt, omnia, quæ in crudelem animum cadere possunt, tormentorum genera in illum exercerent, non tantam illi perniciem crearent, quantam ipse sibi, dum mortaliter peccat; quia cætera mala, sunt mala inferioris ordinis, naturamque dumtaxat lædunt; peccatum est malum su-

perioris ordinis: malum scilicet Dei, quem de medio tolleret, nisi Deus esset omni telo impetrabilis.

Præterea peccati foeditas tanta est, ut major nec à Deo quidem concipi possit: non tantum quia à Spiritu sancto vocatur tenebræ, quibus nihil tetrius, sed quia destruit omnem animæ pulchritudinem, quæ illi inest à gratia, & nescio quam teterrimam maculam inurit. Alanus Anglus Dominicanus, qui dæmonis horribiles formas æger aspexerat, dixit postea, si ignis accenderetur magnitudine totius terræ habitabilis, sibi que daretur optio, potius se per ignem tam vastum transiturum, quam dæmones iterum videret. B. Ægidius S. Francisci discipulus, ad horrendam speciem dæmonis sibi oblatam, tanto terrore correptus est, ut loquendi facultatem prope amitteret, & corde dumtaxat rogare Dei auxilium posset, experireturque verè dixisse S. Franciscum, satanæ formam tam esse immanem & horridam, ut nemo ad spatium Dominicæ preceationis, possit eum salvâ vitâ intueri, nisi divinitus confirmetur; & tamen quidquid oculis nostris ab illo tetri & horrendi objicitur, umbra est & velut exterior adumbratio turpitudinis, quam à peccati malitia contraxit, naturalibus in eo

6. Cum fecerit ex Angelo dæmonem, S. monitus 111. 23. p. 3. c. 10. §. 6.

manentibus integris : quod si Deus omnium, qui in peccato mortali sunt, deformitatem obviis quibusq; velut reducto velo spectandam daret, non esset qui non continuò velur à terribili spectro ocyus fugeret, ut contigit viro nobili, cujus Dominicus horrendam ob peccata animæ speciem precibus suis populo, qui præsens aderat, manifestam fecit, omnibus propterea se in fugam conjicientibus. In primitiva Ecclesia, qui post susceptum baptismum lethali culpâ se fæderant, omnes ferè (ut norat ex Areopagita, & S. Cypriano Cornelius à Lapide) à dæmone corripiebantur, ut ex tam deformis hospitibus, qui per baptismum & confirmationem expulsus fuerat, regressu, animæ peccantis turpitudine notaretur, hominesq; à peccando deterrerentur.

In Act.  
Apost.

De erud.  
Principis.  
l. 3. c. 8.

7.  
Hominē  
deprimat  
infra cā-  
mes.

Vilitatem verò ejus collige ex his verbis S. Thomæ : Si in mortali peccato sumus, in inferiori sumus statu, quàm canis, vel porcus, vel bufo, cum simus debitores duplicis mortis, temporalis scilicet & æternæ; illa verò unicam mortem debeant, habeamusq; miseriam culpæ & pœnæ: stultitiam verò hujusmodi hominis ibidem declarat hac similitudine; sicut non est mirum si miles, qui castrum habet supra rupem inexpugnabile contra Do-

minum suum se erigat; valde fatuus verò ille censendus esset, qui de palea domicilium extructum incoleret, & rebellare auderet: sic homo fatuissimus est, cujus habitatio corpus scilicet ad calorem febrilem in ignem redigitur, nec ad ejus incinerationem ignis requiritur, si contra Deum se erigat, & peccando ad pœnam repetendam provocet.

Meritò ergò Vares Regius peccatum mortale vocat delictum maximum, quia maximum bonum avertit, & maximum malum illudque sempiternum accersit. Meritò sancti viri non tantum pœnas atrocissimas hujus vitæ, sed inferorum etiam cruciatus elegerunt potius quàm mortale peccatum admitterent. Utinam pierique, qui propter unicum peccatum mortale apud inferos lugent, hanc maturè mentem induissent!

## CONSID. VII.

### De peccato veniali.

TRia examinanda mihi proposui. 1. Peccati venialis apud Deum & animos Deo ple-nos æstimationem. 2. Eorum multitudinem. 3. Eorum igno-rationem.

Dei de peccato veniali judi-  
cium

1.  
Peccatum  
veniale  
quam er-  
oium.



Peccati  
venialis  
odium  
perendum  
ex eius  
punitio-  
ne.

cium petendum est ab ejus in hac & in altera vita punitione : cum enim Deus justus & non puniat citra condignum, cum unicū peccatum veniale severissimè ab illo castigatum videmus, meritò de peccati malitia aliquam inde cognitionem haurire possumus; quemadmodum si patrem aliquè filium sibi amantissimum ob aliquam inobedientiam satellitibus triduo virgis acerbissimè lacerandum tradere conspiceremus, judicaremus continuo illam inobedientiam, quæ filio fortè levis videtur, à patre homine sapientissimo, & æquissimo non levem haberi. Ita cum in Scriptura sacra conjugem Loth versam videmus in statuam; gravis apparet punitionis, sed si quæris causam: ea est unicus aspectus curiosus civitatis incendio non sine morientium clamoribus & complorationibus pereuntis. David numerari jubet populum in eo nescio quid de tam amplo in numerosum populum dominio voluptatis & gloriæ captans, & mox quot miserorum mortes Angelo percutiente inde consecræ? Propheta sanctus ab altero Propheta ad comedendum invitatur, & nimis credulus, quasi Deus mandatum revocasset, à leone occiditur. Hos omnes venialem tantum culpam admisisse cum multis existimo. Plura sunt hujusmodi divinæ a-

nimadversionis ob venialem culpam argumenta in veteri instrumento, & nonnulla in novo, quæ etsi nobis deessent, ipsæ purgatorij pœnæ, quibus venialia castigantur, quæ omnia martyrum tormenta acerbitate superant, satis ostendunt quàm Deo sit odiosa venialis peccati deformitas.

Jam verò quod ad Sanctos attinet, qui cum Deo regnant in cælo, non existimo quemquam illorum esse qui non mallet cælesti domicilio deturbari, & vivus in illis purgantium flammularum vorticibus ad Dei arbitrium volitari, quàm veniali culpâ contaminari: si enim inter Sanctos, qui in terris, caliginoso loco, degunt, unus è solitariis petiit à dæmone malo hospite potius vexari, quàm vanæ gloriæ afflatu infici; si alter lepram petiit, & impetravit ejusque putredine totus contabuit, ut læsæ leviter charitati in proximum faceret satis, si Magdalena de Pazzi omnes omnium carnicum cruciatus passuram se potius diceret, quàm vel minimum ordinis sui statutum non servaret inviolatum; multò magis credendum est beatos illos, qui quàm Deo cordi puritas omnis sit, & quàm è contra exosa omnis impuritas, in illo cælesti lumine propius intuentur, omnia potius subituros tormenta, quàm veniali culpâ inquinarentur.

2.  
Et Sanctis  
in cælo.

3.  
Et iusto-  
rum in  
terza,

Complorationes Sanctorum ob admissam culpam venialem, quantum in illa mali delitescat, aperte loquuntur. Notæ sunt lachrymæ S. Catharinæ Senensis ob verbum temerè prolatum, B. Veronicæ ob levem oculis evagationem sacrificij tempore permissam; Alphonſi Rodrigues ob rhedam cranſeuntem temere & volatili oculorum jactu curiosè conspectam: nec credo quemquam illorum in his fletibus excessisse (ut rectè de se ostendit Maria Ogniacensis, dum moneretur ut in simili causa à fletu sibi temperaret) sed habuisse oculos nostris longè perspicaciores; quibus quanto lachrymarum diluvio culpa venialis digna esset, propius agnoscebant. Nec mirum, cum omnes omnium mortalium, quæ unquam à die prima mundi huc usque profluxerunt lachrymæ, ad unicam peccati venialis labeculam delendam non sufficiant, nisi Christi sanguis accedat.

Hinc S. Bernardus eos, qui iis vitandis non invigilant, injuriosos & blasphemos in Spiritum sanctum esse pronuntiat. Cavete deinceps, inquit, ne quis parva reputet, si quamlibet parva scienter delinquere convincatur: nemo dicat in corde suo: Levia sunt ista, non curo corrigere; non est magnum si in his maneam venia-

In conver-  
sione S.  
Rasilæ.

libus, minimilque peccatis: hæc est enim dilectissimi, impenitentia, hæc blasphemia in Spiritum sanctum, blasphemia irremissibilis. En quanta judiciorum de peccatis venialibus diversitas: tepidus ea levia, & minima, & curâ indigna judicat, hîc verò S. Bernardus quanta? Ita B. Rogerius auditus est sæpius dicere, se tantâ curâ vitare quodlibet veniale peccatum, quantâ vitaret maximum mortale; & S. Hieronymo teste Paula Romana sic levia peccata plangebat, ut illam criminum ream crederes. Ita idem homo, ait S. Gregorius, dum igne com-

Sed quod maximè hîc considerandum videtur, est istorum peccatorum in homine iusto multitudo. *In multis*, inquit Jacobus Apostolus, *offendimus omnes*. ubi verba illa pensanda, *in multo*, & *omnes*. Quis non contremiscat, inquit S. Augustinus, cum audit Apostolum dicentem *Omnes*? imò verò quis non se cum metu & horrore circumspiciat, cum legit S. Xaverium Indiarum Apostolum, virum tam sanctum, tam circumspectum, & tamen lumine cælesti præditum in Epistolis dicentem se precibus totius Societatis

31. Nov  
c. 1.

4.  
Quarta  
librorum  
venialium  
multitudo.

tatis referre acceptum, quod se innumerabilibus peccatis scaterere cognosceret? cum audit etiam Prophetam Regium dicentem: *Comprehenderunt me iniquitates meae, & non potui, ut viderem; multiplicata sunt super capillos capitis mei: quis numerat capillos capitis sui?* inquit S. Augustinus; multo minus peccata, quae excedunt numerum capillorum; minuta videntur, sed multa sunt: magna praecavisti, projecisti molem, vide ne arenam, hoc est minutis istis peccatis obruaris.

Sed quod magis timorem auget, est, quod ista peccata ignorantur. S. Augustinus agens de Samuele; quaerit quid in illo erat obnoxium punitioni divinae, ut dicatur tam de eo, quam de Moyse & Aarone: Vindicās in omnes affectiones eorum? Samuel, inquit, quid fecit infans ad templum datus; omnes aetates suas inter sancta Dei Sacramenta peregit, ab ineunte aetate famulus Dei: nihil unquam dictum est de Samuele, nihil ab hominibus. Noverat ibi fortē aliquid Deus quod purgaret, quia quod perfectum jam videtur hominibus, illius perfectioni adhuc imperfectum est. Quod deinde probat exemplo peritorum artificum, qui noverunt quid desit operi, quod à vulgo perfectum iudicatur: sed aliud, inquit, iudicat, o-

culus imperitus, aliud artificis regula.

Abbas ex Ordine Cisterciensi, ut exemplo esset suis, ad laborem communem cum ceteris discesserat, datā curā, ut si aliquis è Monachis aeger peius haberet, per vicarium à se constitutum extremum inungeretur, quod minoris momenti arbitrabatur, quam ut domi propterea remaneret; alius interim ex eodem cœnobio recens defunctus ad Abbatem à Deo mittitur hæc nuntiatum: Quia officio tuo in iuvando tali moriente defuisti, injungit tibi Deus, ut septem Psalmos poenitentiales pro hac negligentia persolvas.

Sed longè mirabilius est quod de P. Antonio Cyrnè viro sanctissimo Capucino narrat Flores Seraphici, qui ob sublimis orationis donum, & vitam austerissimam, multa que miranda opera omnibus venerationi fuit: hic post mortem, uti promiserat, apparuit valedudinarij curatori; dixit que se poenam damni gravissimam pati ob culpam, quam non adverterat, quam si cognovisset, numquam à se committendam, brevi tamen se æternis gaudiis periturum: interea in terra corpus ejus summis afficiebatur & honoribus, & contactu cæcutientē sanabat. Dices: An ergo ita ignoranter peccatur? Audi, quaeso, hæc super

6.  
Quam graviter puaita.

Fol. 264.

7.  
Etiam ignoranter commissa. Pal. 28.

Psal. 39.

Et igno-  
ratio.  
In Psal. 9.

Quanta  
illorum  
veneratione  
multo-  
do.



re Bellarminum super illum ver-  
sum, *Delicta quis intelligit? ab oc-  
cultis meis munda me, & ab alienis  
parce servo tuo.* Pulchrè, inquit, in  
Hebræo legitur ad verbum: Ignorantias  
quis intelligit? ubi opponit ignorantiam  
intelligentiæ, demonstrare volens, esse  
difficillimum cavere peccata, quæ ex  
ignorantia committuntur; quia tamen  
verè peccata sunt & caveri potuerunt,  
addit orationem, *ab occultis meis munda me.* Ita ille.

### CONSID. VIII.

#### De morte.

1.  
Rapimur  
ad mor-  
tem.

**A**D mortem raperis, mi ho-  
mo, & velociter raperis, & insensibiliter,  
& incerto ac dubio exitu, ac parum ad  
illam dispositus; hæc quatuor propiùs  
consideremus.

Velociter.

1. Velociter raperis; quia æquè  
concitato cursu, ac sol ipse, qui dies  
tuos facit, circumagitur, què constat  
rapidius volui, quàm faceret celerrimi  
volatus hircæ, quæ spatio unius *Miserere*,  
viginti totum orbem terrarum circuiret.  
Ut hanc vitæ nostræ velox simul, &  
instabile curriculum nos obliviosi mor-  
tales utcumque apprehenderemus, illam  
Spiritus sanctus cum rebus fugitivis,  
& instabilibus comparare

voluit, nebulæ, vento, fumò, hospiti  
unius noctis, nuncio, navi poma portanti,  
imagini in speculo transcursum apparen-  
ti, & similibus: ipsimet insipientes hujus  
rei non ignari dicunt: *Transibit sapientia  
nostra tanquam vestigium nubis, & sicut  
nebula dissolvetur, quæ fugata est à  
radio solis.* Ut rectè dixerit S. Augustinus;  
hoc totum quod nobis sæculum videtur,  
punctum est, & quod tibi tardum est,  
in oculis Dei breve est.

2. Maximè mirandum est nos raptum  
illum non sentire: jam pars vitæ abiit,  
& morti propiores jam sumus, & tamen  
non sentimus, nec quid desit aut super-  
sit, anxie inquirimus; similes homini,  
qui tot nummos gestaret in bursa collo  
appensa, quot annos esset victurus, quorum  
tamen annorum numerum ignoraret, ille  
quidem satis adverteret singulis annis  
bursam nummo uno decrescere, quot  
tamen restarent, nesciret: aut qui cereum  
ardere conspiceret, quo finito morien-  
dum sibi esset; videret quidem cereum  
quotidie minui, sed quia ejus quantita-  
tem & durationem ignorat, ad ista dis-  
pendia non attendit. Sed hujus incuriæ  
& oscitantia humanæ luculentum ex-  
emplum habemus in Rege, cujus miserum  
statum Deus aliquando S. Brigittæ ostendit.  
Sedebat Rex in globo vitreo coronatus,  
supra glo-

globum pendeat gladius tricuspis horribilis, qui singulis momentis levi motu, eoque imperceptibili, ut solet index in horologio, globo vitreo, ut illum distringeret, appropinquabat; ad dexteram stabat Angelus, ad sinistram diabolus, ictum gladij, & vitrei globi rupturam expectantes, ut Regis animam exciperent: audiebaturque dæmon horribili voce inclamans: Quousque erit istud? ecce ambo iniequimus prædam unam, & ignoramus, quis erit victor. Intellexit ex Deo Brigitta, globo vitreo vitam Regis representari, gladio verò mortem: ego verò satis mirari non possum Regis istud in re tam fragili, brevi fraudendâ, tam securam sessionem. Damocles assentator Dionysij, ab illo ad cænam adhibitus, cum supra caput gladium setâ æquinâ appentum vidisset, metu imminenti periculi deterritus à cibus Regis abstinuit: aliter verò ille ensis supra caput Regis pendulus sensim movebatur ad certam perniciem interendam, ac proinde Damoclis gladio longè formidabilior: ut mira sit hominum væcordia, qui in pari cum illo Rege constituti discrimine rebus caducis immersi obtorpescent, tanquam beatæ æternitatis securi.

3. Quod verò mortem maximè reddit formidabilem, est,

ut notat S. Augustinus, quod sequitur mortem: nescit enim homo an amore, an odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta; præsertim cum de nobis ipsius iudicium nostrum sit fallacissimum: est enim via quæ videtur homini recta, novissimè autem ducit ad interitum. Arcana Dei clausa mortalibus, etiam ipsis electis. Suspecta sunt, inquit sanctus Bernardus, ut non desinant dignè timere, qui nondum dignè amare didicerunt. Fac alicujus perduellis filios Regis imperio curru impositos velatis oculis duci velocissimè, anxiosque quò ducantur, aurigam rogare, quò tandem illos abducat, illumque respondere: Vespere scietis: an scilicet ad palatium pulcherrimum in monte constitutum, an verò ad vallem terribilem igne & sulphure fumantem, draconibus immanissimis refertum, ad homines ex cruciados ibi collocatis, quantus timor miseris illos incessest, & quantum illi magis ac magis angerentur, quò propius ad terminum accederent? S. Honoratus morti proximus, astantes his verbis compellavit: Videtis quàm fragile habitemus hospitium, quolibet vivendo ascenderimus, illinc morte detrahimur, ab hac necessitate neminem honores, neminem divitiæ liberant: sic vitam agite, ne vitæ extrema timeatis,

boni amali stantus.

L. 5. de conf. c. 4.

S. Hilarius serm. de ejus vita.

Cicero in Tullio.

3. Incerto successu

tis, & hoc quod mortem appellamus, quasi commigrationem expectetis: mors poena non est, si non ad supplicia deducit: dura quidem est carnis animæque divulsio; sed multo durius, in gehennæ flammis erit carnis animæque consortium, nisi in omni vita generositatem suam spiritus recognoscens, bellum corpori, & corporalibus vitis certamen indixerit: hoc itaque agite, hanc vobis Honoratus vester, hæreditatem relinquit, supremo halitu suo ad hæreditatem vos regni cælestis invitat: nullus mundi hujus amore teneatur. Optimum est ut voluntate fastidias, quo te vides necessitate cariturum.

4.  
Malè  
comparat.  
Ep. 108.

4. Vide quomodo ad mortem paratus sis, ne sis sicut ille Thomas, de quo S. Bernardus, qui non securus hinc exiit, quia malè securus vixit: vide ergo tu an qualibet horâ paratus sis mori. Scias commodatè te vitam accepisse, & velut precariò vivere. Audi, inquit S. Augustinus, Deum tibi dicentem: Non tali conditione accepisti vitam, quasi tempora tibi certa sint, quando voluero, & cum dixerò, Migra, paratus esto: ergo fac tibi omni tempore interrogationem illam Dei ad Adamum: *Adam ubi es?* non in quo loco, ait S. Ambrosius, sed in quo statu, quo te deduxerint peccata tua, ut fugias Deum tuum? Addo

De Parais.  
c. 14.

ego, ut jamjam mori & coram illo comparere pertimescas? quid foliorum umbras quæritas? quid peccatum aut abcondere, aut palliare desideras? quin potius te accusas, & condemnas, & ad sanguinem Christi lavandus accurris, cum bonam mortem nihil impediatur nisi peccatum?

Igitur incipe hinc mori malis habitibus tuis. Propior, inquit S. Ambrosius, est saluti qui moritur, ut resurgat, quam ille qui vivit, ut moriatur: emenda dum tibi emendare & corrigere permittitur, si hinc emendaveris, illic requiesces. Non te dulcia mundi hujus, sed amara delectent; grave enim fel movere consueverunt. Non ille jucunda quærebat positus in regno, qui eligebat mortem Sanctorum.

2. Sequere consilium Francisci Sales: qui illud Psalmitæ, *si dormiatu inter medios clericos, penna columba deargentata & posteriora ejus in pallore auri*, nobis bonam ad mortem præparationem suggerere existimat. Dormire phrasi scripturæ est mori: si ergo solliciti sitis, ut inter medios clericos, hoc est duas sortes & vias Sanctorum mortem subeatis; quæ sunt humilitas, cum fiducia in Deo, ut per humilitatem sentiat vos inferorum supplicia promeritos, & per fiduciam in Dei misericordia, qui dives est in omnes qui invocant

cant illum, vos salvandos firmiter speretis, quia plus habet ipse bonitatis quam vos malitiæ; tum volabitis pennis argenteis innocentia. & ultima vitæ vestrae operientur auro charitatis. Humilitas sine fiducia in Deo, injuriosa est illi & degenerat in pusillanimitatem: & fiducia sine humilitate periculosa præsumptioni januam aperit. Ita viri sanctissimi se pararunt ad mortem, ita Cardinalis Bellarminus, qui extrema in ægritudine Deum verbis illis ex canone Missæ depromptis rogabat: In quorum nos confortium, non æstimator meriti, sed veniæ quæsumus largitor admitte. Ita P. Leonardus Lessius magno ardore animi dicere solitus erat verba hæc in secretis orationibus Missæ: Fac me tuis semper inhærere mandatis, & à te nunquam separari permittas.

Incipe hîc, & nunc viam hanc Sanctorum ingredi, nec in crastinum differ. Quid, inquit Ambrosius, in crastinum differ? potes & hodiernum diem lucrari: cavendum enim est ne & illum non teneas, & hunc amittas; non exiguum detrimentum est horæ unius: & una hora totius vitæ portio est. Fac ut dicere possis quod Ethnicus dixit: Nullum diem non tanquam ultimum aspexi. Denique fac quod B. Petrus Damianus in Epitaphio suo inscul-

psit, Vive memor mortis, quòd semper vivere possis. & S. Augustinus, Præveniendus, inquit, est dies, qui prævenire consuevit.

CONSID. IX.

De Iudicio particulari & universali.

Hic ab obliviosis mortalibus fidem maximè attentam & excitatam requiro; quis enim, si quæcumque de hoc iudicio proponuntur, sibi persuadeat, non continuo è veterno teporis evigilet, & rationes suas citò disponat, nec in diem mortis differat, ne cogatur tum dicere, sicut non nemo, qui morti proximus, dum moneretur, ut gauderet, quòd de exilio abiret in patriam, respondit: Hoc bene: si rationes in iudicio reddendas bene composuisssem; sed de tot malè gestis mihi conscius, causam habeo unde potius angar, & contremiscam, quam gaudeam.

Consideremus ergo quis iudicandus, de quibus, à quo, quomodo, & quo exitu.

1. Quis? homuncio, quòd ad naturam, secundum Aristotelem, imbecillitatis exemplum, temporis spoliolum, inconstantia imago, invidia & calamitatis trutina, reliquum verò pituita, & bilis: secundum

Yyy cundum

r. Iudicium instituc. tur.

De quo.

Apud Sebastianum.

L. 3. epist. n. 10.

Seneca Ep. 94. Ser. m. de temp.



In medita-  
tionibus  
c. 2.

cundum mores, iudice S. Bernardo, homo de humo, limus de limo, oneratus peccatis, irretitus vitiis, pruriens concupiscentiis, in omne vitium proclivis, plenus confusione & ignominia, qui nudus & solus ad iudicium trahetur solis operibus comitantibus; quae juxta S. Bernardum dicent: Opera tua sumus, non te deseremus; sed tecum semper erimus, & tecum pergemus ad iudicium.

2.  
Bona quae

2. De quibus ratio in illo tribunali exigetur. 1. Constat de omni otioso verbo constat de omni jactu oculi constat de omni temporis otio. Ita SS. Patres loquuntur, ita exigit ratio istius iudicij exactissima, qua exactior haberi non potest; quod verum non esset si de minutissimis non inquireretur, aut aliquid ob exiguitatem omitteretur; tum enim exactius & accuratius iudicium, aut inquisitio institui posset: hinc Josaphat cum a Barlaamo de hujus iudicij examine instruitur; ac de minimis etiam cogitationibus (quas per capillos, quos Deus in numerato habet, significari intelligebat) reddendam esse rationem cognoscit, totus horrore concutitur: & quid mirum? cum vir sanctissimus Agathon in extremis constitutus, apertis, & in eundem locum defixis oculis tres dies integros steterit, rogatusque ubinam cogitatione versaretur,

respondit: In conspectu Dei sto. & rogatus ulterius an timeret: respondit, se quidem sedulo servandis Dei mandatis studuisse; sed hominem se esse: & unde scio, inquit, an opera mea placita sint Deo: alia enim esse iudicia Dei, alia hominum. Quod etiam alij sanctitate non inferiores senserunt: inter quos unus cum de proximam requie gratulantem, & ut cum caelo receptus esset, sui recordari dignaretur, postulantem audiret, oculos & corpus semimortuum erigens, junctis manibus cum lachrymis exclamavit: *Non intres in iudicium cum servo tuo Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*: atque hac voce lamentabili pronuncians adstantibus ingentem explorationem excitavit. Merito ergo solitarius ille, alterum ridentem aspiciens, dixit: Brevi ante Dei tribunal iudicandi comparebimus, & tu rides!

Jam vero attentius perpende mecum a quo iudicandus sis. Ab eo, de quo dicitur: *Quia lux est, & in quo tenebrae non sunt ullae*. Jam nosti quam lux invisibilis & odiosa sit peccatori: omnis enim, qui peccat, odit lucem: & quidem tenebrae illum non comprehenderunt, sed ipse tenebras comprehendit, & quidquid sub illarum velo latet, in publicam omnium lucem producit: hic ille est, qui tibi



tibi & aliis dixit per Prophetam: Existimasti iniquè quòd ero tui similis? ut tua omnia peccata in tenebris ignorantiae & silentij relinquam, sicut tu facere solitus es? minimè verò: arguam te & statuam contra faciem tuam, omnesque tuas fœditates tibi obtrudam. Videmus aliquando arculas in foribus templorum excipiendis ingredientium nummulis in templi fabricâ appensas, in quas quòd si pueri per lusum lapillos, aut paleas, aut lutum congererint, ubi tempore suo illa aperiantur, spectantibus & pudorem simul & bilem movêt. Opera tua servire debent aeternae in caelo fabricae, quae felicitate te nunquam terminanda excipiat, beet, & reficiat; quis horror dum conscientiam tuam velut arculam aperiet Deus, si non tantùm straminea, sed & lutulenta opera tua ibi inveniatur, & tibi exprobrat. Tela est vita tua, quae operibus quotidianis intexta, temporis volubilitate simul ipsa convolvitur: illam statim à morte explicabit totam Christus Judex, & quot figuras deformes, quot neglectas telae portiones, quot fatida animalia intexueris, tibi ostendet; quanto pudore tuo! quantâ poenitudine! praefertim cum nec filum perperam ductum non sit, sine condemnatione, & horrore tum à iudice, tum à teipso conspiciendum.

Deus totus auris est, & audit ea in corde cogitantis, quae non audit ipse qui cogitat; totus oculus est, qui omnibus locis & momentis praesentior est tibi, quàm tu tibi ipsi, qui omnia intima penetrat, observat tibi aliquando in iudicio representanda. Crede ergo eum tibi iudicem futurum, quem teste S. Ambrosio oeculta non fallant, indecora offendant, & honesta delectent.

4. Sed quomodo iudicium instituet? Audi Danielem. *iudicium* <sup>4.</sup> *Quomodo.* *sedit, & libri aperti.* Libri, inquit Ambrosius, aperti sunt, non atramento scripti, sed vestigiis delictorum, & flagitiorum inquinamento: aperietur liber conscientiae tuae, liber cordis tui, culpa tua recitabitur: vide ne dicat tum Judex: Ego scripsi tabulas tuas (tabulae enim cordis per Spiritus sancti gratiam inscriptae fuerunt tam in Baptismo, quàm in aliis Sacramentis) cur delesti apices meos? Ego scripsi dona mea, *L. de fer.* *c. 4.* quomodo delesti munera mea, & scripsisti opprobria tua? nonne corpus meum pro te obtuli? nonne mortem oppetivi? haec referuntur gratiae? hoc profecit sanguis meus? & alibi: Quanta, inquit, prodentur, quae latere credebam? quis pudor, quae confusio erit mihi, cum is, qui alios profitebar docere, ipse in eo deprehendar, in quo alios arguebam?

Yyy 2      bam?

*De vanit.  
saeculi.*

bam. Similia nobis inculcat S. Augustinus: Dicet tui Judex: Ego te manibus meis de limo formavi, ego tui misertus carnem assumpsi, contumelias & verbera pro te sustinui; quid tibi facere debui & non feci? ostende nunc quid passus sis pro me, imò quid boni egeris pro te? S. Chrysostomus dicit Christum ostensurum ambitiosis ludibria sua, purpuram & arundinem, qui ne contemnerentur, & conculcarentur Christum conculcarunt: avaris loca clavorum & fontes sanguinis, delicatis flagella, vindicativis & invivis lanceam, & acetum; gulosos, pigris crucem. Quanto hæc improborum terrore peragentur, parat ex iis, quæ de judicio legimus Apocalypsis 6. Reges terræ, inquit, & Principes, & tribuni, & divites & fortes, & omnis servus, & liber absconderunt se in speluncis & petris montium, & dicent montibus, & petris: Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira Agni, quoniam venit dies magnus iræ ipsorum, & quis poterit stare?

5.  
Quo successu.  
Serm. 7. de  
SS. Petro  
& Paulo.

5. Sed quis tandem erit hujus judicij ex tuis? Qualis fuerit exitus vitæ tuæ, talis erit & judicij. Omnino, inquit S. Bernardus, necesse est præsentis vitæ finem futuræ coherere principio, nec tolerabilis ibi dissimilitudo est: sic-

ut enim, si quis duo sibi, ut ita dixerim cinctoria consuevit, aut colligare voluerit, minus de reliquis partibus curans, ipsa quæ sibi copulanda sunt capita uniformiter parat, ne dissideant à seipsis: ita dico vobis, quantumlibet extiterit conversatio spiritualis; si carnalis fuerit consummatio nostra, vitæ illi spirituali non coheret, nec caro & sanguis regnum Dei poterunt possidere: hisce ergo novissimis nostris sedulo nobis providendum est, ac audiendus Moyses id nobis exoptans: *Vitæ nam sapienter, inquit, & intelligenter ac novissima providerent*. Ista scientia secundum S. Bernardum non multorum, sed paucorum est; multi enim, ut ait Apostolus, confitentur se nosse Deum, factis autem negant: non enim ita se omni impuritate polluerent, si Christum Dominum venturum scirent & formidarent. Vigilarent utique, & non sinerent, tam graviter perfodi conscientias suas. Jacitur, ait quidam, semel alea tantum, sed jactu irrecuperabili & inemendabili, & de tenebris transitur ad tenebras: itaque omnium curarum hanc summam esse putat, sapienter disponere præsentia, recogitare in amaritudine animæ præterita, & futura sollicitè providere: atque ad ista frequenter à Spiritu sancto postulare spiritum sapientiæ, intelligentiæ, & consilij.

CON-

CONSID. X.

De inferno.

1. **S**unt qui nolunt hanc considerationem instituire : cum tamen optimum sit illis, ut descendant viventes, ne eò descendant morientes descendant, inquam, consideratione quâ nulla potentior ad continendam in officio animam, & cupiditatis vires infringendas. Zenon Abbas cum iter faciens fame urgente ad olera aliqua ex agro proximo colligenda tentaretur ; dixit cogitationi suæ : Fures supplicii obnoxij sunt, videamus an tu ignem sustinere poteris, & aliquot dies sole torreris se passus est; cumque diutiùs ferre caro recuset; Video, ait, te pœnis ferendis imparere esse ; ne ergo id agas unde illas in caput tuum accerfas. Vult etiam S. Augustinus, ut cogitatione ignis inferorum ad vitanda peccata, & opera bona excitemur. Timeamus, inquit ; ignem palea timet; amplexaris peccata, & delicias carnis tuæ, stipulas ad te congeris; non erit iste ignis sicut focus tuus, quò tamen si manum mittere cogaris, facies quidquid voluerit, qui hoc minatur: minatur inimicus tam leve malum, & facis malum; minatur Deus æ-

ternum malum, & non facis bonum?

Videamus ergo quis futurus sit cruciatus corporum; deinde quis animorum; tertio quanta desperatio. De corporum tormentis hoc in genere dici potest, quod una similitudine explicat S. Anselmus: Sicut ferrum ignitum omni suâ parte continet ignem, sic mali omni sui parte apud inferos dolorem patientur: discurre per sensus: morbos oculorum medici numerant ferè ad trecentos, quos omnes simul coacervandos ibi existima. Legisti aliquando aliquos terribili alicujus spectri aspectu mortuos: ibi demonum horribilibus formis vexandos, mortemque propterea habituros in votis tibi persuade. Olfactum jam quantas à tot putentissimis corporibus manans fœtor cruciabit? Mezentius, & post eum Macrinus Imperator, viventes homines mortuis alligabant, donec vermibus & fœtore conficerentur: sed ludicra sunt ista, si cum damnatorum corporum graveolentia, quam declinare nullo modo possunt, conferantur, quorum vel unicum, vastissimum æris spatium pestilenti odore corrumpet, hominesque ibi degentes suffocaret. Auditum verberabunt, & contendent ululatus, & gemitus, ac in Deum blasphemæ voces, mutuaque convicia

2. Quis in inferno cruciatus corporis. simil. 56.

& impropria. Gustum verò torquet non tantum aeterna fellis amaritudo, sed liquati plumbi infusio, uti nonnullis ad inferorum domicilia deductis ostensum fuit: sed potissima cruciamenta erunt in sensu tactus, qui diffusus per totum corpus in omni ejus parte atrocissima quæque patitur, quæ cogitatione potius, quam verbis à me comprehendi possunt: si fames, si insomnia, si frigus, & calor, si capitis dolores, nervorum contractiones, si membrorum luxationes, & mille aliorum generum tormenta cogitando percurras, eaque omnia in unum corpus damnati congeras, aliquid adumbrasti; sed parum omnino ad tormentorum istorum, quæ in uno corpore accumulabuntur, acerbiter ex æquo concipiendam.

<sup>3.</sup>  
Quis ani-  
mi.

Jam cruciatum animæ inspiciamus. Primus & maximus est privatio visionis Dei. Si sola, inquit S. Augustinus, immineret separatio à facie Dei, non videntes à quo creati sunt, & separati ab illo dulcedine ineffabilis vultus ejus, in qualibet aeternitate, & impunitate peccati, plangere se deberent; sed quid loquar? aut quibus loquar? hæc amantibus pœna est, non contemnentibus. Qui dulcedinem sapientiæ & veritatis utcumque sentire ceperunt, noverunt, quod dico, quan-

ta pœna est, tantummodo à facie Dei separari.

Sed de pœna animæ audiamus Bernardum cum Eugenio loquentem, & tria mala animæ damnatæ explicantem. Primum voluntatis semper cum Deo dissentientis; cum enim Deus sit inconvertibilis, & indeclinabilis, ac ordini necesse est ut hæc in illam impingens conquassetur, & conturbetur, & suæ semper averfionis & pravitate pœnam ferat. Quid enim, inquit, tam pœnale, quam semper velle, quod nunquam erit, & semper nolle, quod nunquam non erit? quid tam damnatum, quam voluntas addicta huic necessitati volendi, nolendique, ut ad utrumlibet jam sicut non nisi perversè, ita non nisi miserè moveatur? in æternum non obtinebit quod vult, & quod non vult, in æternum nihilominus sustinebit? dignè omnino, ut qui ad nihil unquam afficitur quod deceat, ad nihil unquam quod libeat evadat; atque hoc est admittabile supplicium voluntatis.

Jam verò de intellectu & memoria audi eundem differentē. Quid, inquit, tam invisum obscenis, flagitiosisque mentibus, quam lux, quam non poterunt declinare, quæ ipsorum turpitudinem omnibus discooperiet, ut pro multitudine intuentium sit confusio multa. At nullus de tanta numerositate

4  
In volu-  
tate.

strate spectantium molestior ocu-  
lus suo cuiusque non est aspectus  
sive in cælo, sive in terrâ quem  
tenebrosa conscientia suffugere  
magis velit, minus possit, quàm  
seipsum: hîc est *vermis*, qui nun-  
quam moritur, memoria præter-  
itorum: semel injectus, vel po-  
tius innatus per peccatum hæsit  
firmiter nequaquam postea avel-  
lendus: nec cessat rodere consci-  
entiam, eaque pascitur, escâ utique  
inconsumptibili, perpetuat vitam.

Quis ad hæc non perhorrescat,  
cùm ipse sanctus exclamet: Hor-  
reo vermem mordacem, & mor-  
tem vivacem: horreo incidere in  
manus mortis viventis, & vitæ  
morientis: hæc est *secunda mors*,  
quæ nunquam peroccidit, sem-  
per occidit: quis det illis semel  
mori, ut non moriantur in æter-  
num? mortem quidē hanc mor-  
tis beneficio finire, & evadere  
vellent; sed frustra: invocabunt  
mortem, & non veniet.

Apoc. 9.

Intueamur propius hujus tor-  
menti à memoria provenientis  
magnitudinem. Constat, inquit,  
animam immortalem esse, nec ali-  
quando absque sua memoria vi-  
vere, ne non animam aliquando  
esse contingat; itaque durante  
animâ durat & memoria; sed  
qualis? seeda flagitiis, horrida fa-  
cinoribus, vanitate tumida, con-  
temptu hispida, & neglecta: quæ  
priora transferunt, & non transie-

runt: transferunt à manu, sed non  
à mente: quod factum est, fa-  
ctum non esse non potest: pro-  
inde etsi facere in tempore fuit,  
fecisse in sempiternum manet:  
non transibit cum tempore, quod  
tempora transit: in æternum er-  
go necesse est cruciet, quod per-  
peram te egisse in æternum me-  
mineris. Omne quod Deo aver-  
sum est, homini ipsi adversari ne-  
cesse est; ut sit tum fera querela,  
*O custos hominum, quare me posuisti*  
*contrarium tibi, & factus sum mihi-*  
*metipsi gravus?* Non est tunc quòd  
veritatem dissimulet ratio, aut  
rationis intuitum anima declinet  
membris avulsa corporeis, & in  
se se collecta; & carens sensibus,  
per quos conjuncta corpori exi-  
re solebat à se, & ire in eam, quæ  
præterit, mundi hujus figuram?

5  
n intel-  
lectu de  
memoria

Æternitas verò, & tot malorū  
nunquam finienda duratio sum-  
mum malorum est: hinc enim de-  
speratio, & quædam rabies & fu-  
ror: mors in votis, ac in nihilum  
redigi summum beneficium est:  
sed & hoc negatur. Quidam Ro-  
manus pedore carceris, & mise-  
riis prope confectus Tiberium  
rogavit, mortem citò inferret.  
Respondit ille: Nondum tecum  
redij in gratiam. quasi diceret:  
Nondum ita amici facti sumus, ut  
hoc tibi beneficium conteram:  
nec est quod animatis id tribuat.

Cæterum hîc iterum repeto,  
quod

quod initio dixi, etsi omnia ista supplicia gravissima sint, Deo tamen, caeloque privari, omnibus illis acerbius futurum ex virorum sanctissimorum sensu: nam praeter S. Augustinum supra allatum, tam luculenter id asserit S. Chrysostomus, ut mille gehennas inferiorum cum illa privatione non putet esse comparandas. Novi, inquit, quod plurimi tantum gehennam pertimescant, ego tamen illius gloriae amissionem multo amarior quam ipsius gehennae dico esse supplicium: & si aliquis mille ponat gehennas, nihil tale dicturus est, quale est a beatæ illius gloriae honore repelli, exorsumque esse Christo, & audire ab illo: *Non novi vos.* atque hæc est sententia D. Thomæ & plurimum Theologorum, quia est privatio summi boni, cum omnis poena sensus bono dumtaxat inferiori, quod est incolumitas propria, illos privet.

### CONSID. XI.

#### De Purgatorio.

I.  
Purgato-  
rij.  
In Ps. 37.  
Serm. 4.  
tom. 10.

Gravissimas esse poenas Purgatorij tum auctoritas sanctorum Patrum, tum ratio declarat. S. Augustinum si audimus; Gravior, inquit, erit ille ignis quam quicquid homo potest pati

in hac vitâ: & amplius in aliquo sermone, in quo duriorum futurum ignem illum asserit, quam quicquid in hoc sæculo poenarum sentire, aut videre, aut cogitare quis possit. Quod ipsum adfert & probat S. Thomas in 4. S. Gregorius in Psal. 3. penitentialem ad illud Prophetæ dicentis, *Domine ne in furore tuo arguas me.* ita loqui Prophetam existimat: Scio futurum esse, ut post hanc vitam alij flammis expientur purgatorij, alij subeant sententiam æternæ damnationis: sed quia illum transitorij ignem omni tribulatione præsentis æstimo intolerabiliorem; non solum in furore æternæ damnationis opto non argui, sed etiam in ira transcuntis timeo purgationis purgari.

Ad quod benè concipiendum distinguenda est duplex poena purgatorij: una damni, qua retardatur anima a visione Dei: altera sensus, quam utramque etiã in minimo gradu excedere maximam hujus vitæ probat hoc modo S. Thomas: Quando aliquid magis desideratur, tantò ejus absentia est molestior: atqui affectus, quo desideratur summum bonum post hanc vitam, est intensissimus; tum quia non retardatur mole corporis, tum quia tempus fruendi summo bono jam advenit, nisi aliquid impediret;

diret; hinc de retardatione, quam culpâ suâ vel negligentia anima posuit, summop re dolet, ei que magis, quam ignis supplicio cruciatur.

3. Deo displicet reus utriusque pœnæ.  
 Jam mecum considero, quantum displiceat Deo is qui socordia suâ pœnas illas sibi accersit quam Beata Virgini, Angelo custodi, patronisque parum sit gratus, & sibi uni quam injuriosus. Displicet quidem Deo, cujus natura bonitas, quem ad tantum supplicium irrogandum contra propensionem suam inducit; mallet enim Deus culpam non esse, quam eam pœnâ persequi, de suo semper bonus, de nostro justus; idcirco tam sæpè ac serid nos monet, ut fugiamus à facie arcûs, hoc est, justitiæ peccata ferientis, & castigantis, ad quod gratiam ipse prærogat.

4. Quænam mallet habere in celo.  
 Deinde quam libentius videret Pater filij amantissimus filium suum inter delicias cælestes laudum cantica cum cæteris beatis ingeminantem quam inter flammâs gementem, & serid nimis væcordiam suam in cupiditatibus frænandis incusantem. Denique si amor patriæ differt specie, ut quidam volunt, ab amore multoque nobilior est, & præstantiâ antecit, Deoque gravior est, quis non videt Deum optimû maximum, qui amat, ut ametur, & amoris in suis filiis flammâs ardentissimas

optat accendi, hanc amoris & laudis retardationem à filij negligentia & socordia profectam agris oculis non aspicere?

Idem esto judicium de B. Virgine, quæ Deum intentissimè amari & laudari unicè desiderat, quæ sanguinem Filij ad delendas culpas & pœnas illis debitas impendi à miseris hominibus optat & procurat, quantum potest, qui dum id à nobis negligi per nescio quam vesanam incuriam videt, & ob id inter flammatarum incendia retardari, non potest non miseri simul & stultitiam nostram incusare. Quod ipsum & Angelum custodem & cæteros Patronos nostros malè afficere existimo, & unâ simul ad nostri commiserationem, & socordix simul detestationem omnes provocari.

6. Gaudent dæmones ob dilatâ ejus felicitatem.  
 Dæmonibus verò etsi non detur in hominem tam sæviendi facultas, non deest tamen gestienti, & de pœnis nostris ac gemitibus, ac retardatione à possessione gloriæ exultandi materia, cum eos, quos in sedes, quibus exciderunt, evehendos norunt, per tot cruciatus & lamenta promoveri tam lentè contuentur: cumque ipsi suis artibus socordiam istam, ob quam punimur, aluerint, aliquem victoriæ qualiscumque gustum, & fructum hauriunt.

Ipse se accusat.  
 Quam verò se ipsum desidiâ que suam accuset homo, qui  
 Z z z tantal.

5. Et B. Virgo.

6. Gaudent dæmones ob dilatâ ejus felicitatem.

Ipse se accusat.

tan illis cupiditatibus tantum malorum emerit, qui quod exigua patientia, & corporis castigatione devitare, & redimere poterat, tam multiplicatis in centuplum tormentis & doloribus persolvere cogatur, quis non videt? Rectè S. Bernardus mollitiem animi, quã hinc aspera declinamus, quibus peccatis facere satis possemus, vocat crudelem misericordiam, qua mutatis, inquit, non effugitis penitentiam, quia malum impunitum esse non potest, & quod non punitur hinc propria voluntate, alibi punitur, in quibusdam sine, & in quibusdam cum sine, sed longè acerbius quã hujus vitæ tempore. An aliquis non haberetur insanus, qui cum posset exiguo dispendio omnia quæ vel scelerati, vel Christi Martyres in hac vita passi sunt, declinare, id refugeret, cum tamen isti tormentorum Oceano brevi se immergendum cognosceret? Id agunt, qui sibi in hac vita parcunt: nunquam enim, ait S. Augustinus, & ex eo S. Antoninus, in carne tanta inventa est pœna, licet mirabilia passi sint Martyres, & multi nequiter iniqui tanta sæpè sustinuerint supplicia.

*In declam.  
Ecce nos,*

*L. 1. de  
penitentia.*

*Anno*

*1583.*

*n. 9.*

*7.*

*Pœnarum  
purgatorii  
gravitas.*

Expertis credendum. Wadingus in Annalibus suis ita loquitur: Alter è fratribus languens ex fluxu sanguinis petivit animæ suæ, ut moreretur. Apparens ei Ange-

lus Domini dixit; propterea illi inflicta fuisse hæc mala, ut peccatis satisficeret, dari illi optionem, ut integro anno illa patiatur, vel per diem unum crucietur ignibus purgatorijs. Optavit ille secundum: munitus sacramentis moritur, ad purgatorium descendit; ibi dum per horam unam cruciatur, annum se ibi detentum conqueritur: sed Angelus unam dumtaxat horam elapsam asserit, corpus adhuc jacere insepultum. Rogavit pactum rescindere liceret, plures annos se paratum morbi dolores perpeti. Impetrat & corpori redditur, narravitque astantibus, quos ab obitu brevi illo tempore passus sit cruciatus. De alio similia legimus apud S. Antoninum p. 4. tit. 14. c. 10. ubi habet quæ hinc narro.

Vide verò quàm levibus de causis hominum quidem opinione, sed non Dei judicio, non horam, sed dies, & menses aliqui in istis ardoribus pœnas atrocissimas dederint. Congerit nonnulla ex ordine S. Dominici, S. Antoninus, nonnulla etiam Zacharias in annalibus Capucinatorum, & ex nostra Societate Lancitius in suis opusculis: ac primus quidem, concionatorem magni zeli, qui veste gemmis resperfa ob animas ad Christum adductas, & monile gestans in pectore ob rectam intentionem, coronam auream gloriæ redi-



redimitus apparuit, uno tamen mense luxit in purgatorio ob nimiam cum sæcularibus familiaritatem, & verba solatij cum illis habita: alter tibias adustas socio ostendit, quòd satis magnam curam in referendis ad sartorem veteribus caligis non habuisset: alter, quòd somni conciliandi gratiã vinum purum bibisset; alter verò, quòd nimio affectu collectaneis suis adhæsisset; alter brachiis adustis, quòd balneum sine licentia ingressus esset; alius Joannes nomine concionator insignis septem dies se in istis ignibus cruciatum dixit, quòd in gratis Deo referendis non eam, quæ exigitur, curam attulisset, & captandis confabulando recreatiunculis, & aliquibus commodis corporis nimium studuisset: alter insignibus item talentis præditus licet facie fulgidã & collo aureo, apparuisset, pectus tamen & latus totum combustum ostendit, quòd ad nova ædificia nimium ardorem animi attulisset, & ob ista in precibus distractiones passus esset.

De P. Antonio Cynè, viro sanctissimo, & prodigiis claro supra mentionem feci, qui visione ad tempus aliquod privatus pro culpa defectu vigilantie non cognita.

Alter verò, ex eodem Capucinatorum Ordine, Bernardus nomine, virginitatis custos integerrimus,

meritorum plenus, & miraculis illustris, quòd Superiorum voluntati, qui ut corporis castigaciones moderaretur, cum monuerant, non acquievisset, septem dies à Dei visione retardatus est: alij ob fabulas & verba jocosa in mediis flammis cum stupore sunt visi.

Inter nostræ Societatis homines ob nimium in studia non necessaria ardorem, pœnas ibi luisse unum aliquem; alterum ob nimiam in vocatione vacillationem severè & diu castigatum fuisse legimus: hæc ed majorem in vitandis venialibus curam adhibendam meritò socordie nostræ excitandæ sufficere mihi videntur.

CONSID. XII.

De Timore sancto.

**T**imor, quem præcedentes I. considerationes excitant, est <sup>Timor duplex servilis & filialis.</sup> potissimum timor pœnæ & servorum stimulus, quos è torporis lectulo nõ timor offensæ servilis, sed scutica aut baculi exsilire compellit: hîc de timore sancto agimus, qui cum charitate conjunctus est, & magis offensam Dei pertimescit, quàm pœnam, neque tam à se castigacionem avertere conatur, quàm cavere ne oculos ejus offendam, benevolentiam

Zzz 2

lentiam minuat, & tam amantis  
Patris lædat charitatem: quia Al-  
tissimus odio habet peccatores;  
non enim Deus hominibus ira-  
scitur, sed vitiis, quæ eum sublata  
fuerint, non erit quorsum pœ-  
nam intendet.

2.  
Quæ filia-  
lis effecta.

Fuga pec-  
cati.

Timor ergo sanctus duo ope-  
ratur. 1. Fugam peccati cujuslibet,  
quia illud Deo exosum est  
& abominabile, qui ut illud de-  
strueret, carnem induit, & acer-  
bissima tormenta sponte passus  
est, Apostolosque mundum perag-  
rare iussit, ut illud eliminaret,  
omnemque sibi amicissimum si  
contingat illo contaminari, con-  
tinuò abdicat, & exhereditat. Ne-  
que odium Dei in hoc sistit, sed  
minimas etiam labeculas perse-  
quitur, quas propterea timor ille  
sanctus malis cæteris, neque tan-  
tùm morte ipsâ, sed inferorum  
etiam cruciatibus graviore exis-  
timat. Nota sunt S. Anselmi ver-  
ba, si hinc peccati pudorem, &  
illinc cernerem inferni horrorem,  
& necessariò uni illorum habe-  
rem immergi, priùs me in infer-  
num mergerem, quàm peccatum  
in me immitterem: malle enim  
purus & innocens gehennam in-  
trare, quàm peccati sordibus pol-  
lutus cœlorum regna tenere. His  
principiis institerunt Martyres: ha-  
bueruntque ante oculos illud  
Christi: *Nolite timere eos qui pos-  
sunt corpus occidere; sed cum timete,*

De similit.  
6. 190.

qui potest corpus & animam, mittere  
in gehennam: quod etiam in pec-  
catis venialibus apud viros san-  
ctos locum habet, eorumque  
animus medullitus insidet, nullo  
alio timore evellendum.

2. In periculis & dæmonû insidiis  
declinâdis omnibusque actionibus,  
quàm potest perfectissimè facien-  
dis magnam timor ille filialis ope-  
ratur vigilantiam, de qua proinde  
solutus erat dicere B. Agidius,  
eum, qui illo destitutus esset, cer-  
tum habere suæ perditionis ar-  
gumentum; neque aliquem in  
extremam perniciem prolapsu-  
rum; qui priùs hunc timorem  
non tenuerit, quod is qui nihil ti-  
met, nihil sibi videtur possidere,  
quod possit amittere; qui enim,  
ait S. Macarius, thesauros per  
loca latronibus infesta secum de-  
fert, gaudet quidem propter opes,  
sed multum metuit propter la-  
trones, quos ut effugiat, omnem  
curam & sollicitudinem adhibet.

Comparabat S. Syncretica vi-  
tam nostram navigationi, per lo-  
ca alia aliis periculosiora, & hos  
de die & in luce, illos de nocte  
& in tenebris cursum instituere,  
& prius Religiosis, posteriùs sæ-  
cularibus competere: sæculares  
tamen metu periculi vigilare, &  
opem in clamare, ut salvent navim  
suam, quod etiam sæpè assequun-  
tur; Religiosos verò omnis me-  
tus expertes, ut minus vigiles &  
atten-

attentos ob nimiam securitatem naufragium sæpè facere.

Vigilat ergo amor sanctus super pericula, quæ ab aliis falsis timoribus impendent. Quot enim ex iis, qui virtutis studium profitentur, dum minora damna timent, majorum & meliorum iacturam faciunt? timent contemptum hominum, & à constanti proposito tantisper deflectunt, nec advertunt animum, ad illud monitum Job: *Qui timet pruina, irruet super illum nix*; quia scilicet per minoris mali fugam majus sibi malum accersit, dum contentionem hominum declinans, à Deo, quod longè gravius est, despicitur: rectè enim Boëtius: O gloria, gloria, quid es aliud, quàm in millibus hominum inflatio quædam aurium; & quid ad Deum omnium mortalium approbatio? Timet religiosus ne aliquid ad necessitatem corporis desit, & ab arctâ paupertatis semitâ devius humanis subsidiis huic malo occurrere nititur; nec videt minorum metu, paternæ Dei providentiæ se miserè subtrahere, & majoribus multò miseris involvi: hæc omnia mala & pericula devitat. Timor sanctus, qui nihil aliud præter Deum, timere dicit.

Hanc malè, beneque timentium imaginem descriptam habes in sequenti parabola. Invidiati

erant complures ad regales nuptias: dum iter faciunt sitique acriter urgentur, contingit, ut ex iis non pauci ex aqua turbida & fœtenti, quæ occurrerat in via, haurire tententur; dehortantur alij quòd hoc regi foret ingratum, quòd vesperi confecto itinere pretiosis liquoribus copiosè reficerentur. Unus tamen inter cæteros, aliorum rejectis consiliis, se fœtida aquâ ingurgitat; qui dum ad januam Regij palatij comparet, quòd ore fœtorem eructaret, expellitur, & à Rege in carcerem detruditur, pro levi voluptatula gravius opinione suâ plectendus. Ita plerisque mortalium accidit, quos timor sanctus à rerum caducarum cupiditate coërcere non potest, qui dum timore minorum incommodorum se venialibus inquinant, hic, vel in futuro supra communem æstimationem castigantur.

Vigilat deinde Timor sanctus super dæmonum tendiculas, & mille artificii implicatas machinationes. Bestia, quæ in Apocalypsi dicitur habere septem cornua & decem capita, varias nocendi artes in dæmone repræsentat, qui adjuratus à B. Jordane Generali Ordinis S. Dominici; ut nomen proferret, se mille dolorum artificem appellari, pronuntiavit. Incautos pisciculos à mergulis ex improvviso corripit vidit

Zzz 3 ali-

lib 6.

De consol.

5. Timor præposteros Religiosorum.

6. Voluptas aqua turbida.

7. Dæmoni multæ nocendi artes, quos eludit Timor sanctus.

aliquando, ita S. Martinus juxta stagnum obambulans & mergulorum insidiosam rapacitatem admiratus, ita nobiscum agere dæmones suis insinuamus. Vigilant ergo Sancti contra tam versipellem & crudelem adversarium, æmulanturque animalia, quæ ab Ezechiele visa sunt plena oculis ante & retro: timent quidem infemitarum humanarum conscij, sed Dei protectione freti ac subnixi contemnunt: cum S. Franciscus in oratione positus catervas dæmonum supra in tectum domus cum strepitu tanquam sibi nocere volentes aspiceret, continuo exiens & signum crucis sibi imprimens dixit: Ex parte omnipotentis Dei dico vobis dæmones, ut quidquid vobis permillum, jam in corpore meo exerceatis, libenter omnia sustinebo; cum enim majorem inimicum corpore meo non habeam, de illo pro me ultionem capietis.

8.  
Est fons  
perfectio-  
nis.

Vigilant denique super perfectionem actionum suarum; sicut sponsa, quæ accuratè speculum explorat, ne quid in se displiceat amato. Ita dicebat Job: Verebar omnia opera mea, ne quid scilicet illis se immisceret, quod oculos amantissimi Patris offenderet. Huic timori sancto rectè innocentiam perfectam tribuit S. Bernardus: Timor Dei, inquit, generat sui ipsius discussionē, discuf-

sio cognitionem, cognitio pœnitentiam, pœnitentia dolorem, dolor confessionem, confessio emendationem, emendatio purgationem, purgatio puritatem, puritas innocentiam perfectam: hinc illum appellat fontem vitæ, cujus aqua etsi minus sapida, optimè tamen refrigerat animam; addo ego, & abluit, aut saltem impedit, ne sordes actionibus nostris adhærescant. Unde rectè illum Abbas Jacobus lucernæ comparat; quemadmodum enim lucerna, inquit, obscurum cubiculum illuminat, ita & timor Dei, si in cor hominis venerit, illud totum luce perfundit, omnesque veritates ac mandata Dei docet, & ad illa observanda compellit. *Beatus enim vir qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis.* Hinc Ecclesiastes quasi in unam concionum suarum summam colligens, dicit: *Deum time, & mandata ejus observa; hoc est enim omnis homo.* quasi diceret; hoc quoque, ut homines simus, sine illo amittimus, inquit S. Chrysostomus. S. verò Augustinus, quia sine hoc nihil est; Petrus verò Damiani vocabulum quidem hominis habemus, sed esse hominis sine illo non habemus. S. Antoninus verò, per hoc, inquit, homo habet verè esse hominis, quod est esse cum ratione: Bellarminus verò ait idem esse ac si diceret Ecclesiastes,

Deum, 1.  
In Epist.

12, 11.

De incomprehensibili  
Dei natura,  
De civitate  
Dei l. 20,  
Lib. 1.  
Epist. 17.  
p. 4. c. 14.  
c. 6.  
In Ps. 31.

stes, in hoc consistit tota perfectio hominis, & omne ejus bonum in hac vita situm est. Merito itaque unumquemque nostrum S. Paulinus monet hoc disticho: *Scire volens in qua rerum sis parte locandus,*

*Discute quid timeas, quidne sit id quod amas.*

CONSID. XIII.

De contritione.

I.  
Quam  
grata Deo  
contritio.

**T**Ria nunc de contritione consideremus. 1. Quam sit Deo grata. 2. Quam homini salutaris. 3. Quam non adeo difficilis.

Ac primo quidem cum contritio sit actus Deum amantis, & malum, quod ejus amicitiam destruit, super omnia mala detestantis, ac ejus benevolentiam & reconciliationem sincerè ambientis, eamque in posterum nunquam violare proponentis, satis patet, talem hominis actum Deo esse acceptissimum, cum in veteri testamento proclamet: *Ego diligentes me diligo: & Convertimini ad me, & ego convertar ad vos;* & in novo: *Qui diligit me, diligitur à Patre meo.* Ubi homo à mendacio ad veritatem amandam convertitur, quis dubitat, quin amantissimè uti filius prodigus in Evangelio ad

osculum, & amplexus admittatur? *Veritas*, inquit Vates Regius, *de terra orta est, & justitia de celo prospexit:* Quæ justitia? inquit S. Augustinus: nempe justitia Dei dicentis: *Parcamus huic homini, quia ipse sibi non pepercit: ignoscamus, quia ipse agnoscit, conversus est ad puniendum peccatum suum, convertar ego ad eum liberandum.* Quare, quæso, nos Deus tum non amaret, quandoquidem, ut ait ibidem S. Doctor, cum cœperimus odisse peccata, tum odium peccatorum incipiat nos similes facere Deo, quia hoc odimus, quod odit Deus; imò per contritionem ob eandem causam odimus, ob quam odit Deus: quod Deo non potest non esse gratissimum, qui sibi similes, suæque voluntati conformes non amare non potest.

Enimverò cum S. Paulus Corinthiis ita loquitur: Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo. Reconciliamini Deo: quasi diceret: hoc est quod nos ex Christi personâ rogamus, hoc est quod per nos ipse obsecrat, ut cum Deo redeatis in gratiam: quis meritò sibi non persuadeat, eos Deo longè esse acceptissimos, qui huic obsecrationi aures præbent, & de peccatis contriti novam cum Deo pacem ineunt.

Cum

2.  
Patet in  
pœnitentia  
Achab.

Cùm in libris Regum post necem Naboth Achabum Elia comminationibus perterritum ad facti pœnitentiam conuolare intueor, & Deum hac ejus mutatione quasi lætitiâ gestientem, simul Eliam ad ejusdem spectaculi & lætitiæ communicationem invitare conspicio; prorsus inducor ut credam Deum spiritus contribulati, & cordis contriti & humiliati sacrificio plurimum delectari: siue enim Achab verè indoluerit, ut existimat cum gravibus viris S. Chrysostomus; siue tantum externâ specie, ut cum S. Gregorio censent complures alij, rectè nihilominus cum eodem S. Gregorio inferri potest, multum placere Deo veram contritionem, cùm fucata & adumbrata ejus oculis non displicuerit.

3.  
Quam  
homini  
utilis,

Jam verò quàm sit fructuosa & homini salutaris hæc contritio, ex eo patet, quòd hominem à morte sanctissima ad vitam longè humanâ præstantiorem, & ad omnia filij à Deo adoptati, jura revocat, & de fœtentissima cloaca cælo pulchriorem & omnibus rebus creatis divinæ Majestati amabiliorem reddit. Impetrat hanc cuidam Palmerinæ peccatis odij deformatæ Catharina Senensis, & continuò migrantem ex ejus corpore animam tanto decore & pulchritudine radiantem vidit, etsi illa nondum Dei

visione frueretur, ut nullis possit verbis exprimi, dixeritque ad illam Christus: *Quis non omnem laborem meritò perferat, ut possit tantæ pulchritudinis creaturam lucrari.*

Stat, stabitque Dei facta per Ezechielem promissio: *In quacumque horâ ingemuerit peccator, omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius.* Si non recordatur, ergò aboletur, ac profligatur, amplius non sunt: ergo per contritionem successit in eorum locum gratia, qua nihil excellentius, nihil pretiosius, nihil fructuosius homini excogitari potest; quanta enim bonorum affluentia gratiam comitetur, quis dicendo complecti possit?

Vidit aliquando S. Brigitta demones triumphare, quòd animam peccatis obsitam jamjam sui juris futuram crederent; sed cùm B. Virgo minimam contritionem illi impetrasset, magno cum ejularu aufugientes aduersarios conspicata admirabilem mutationem, Deo, animoque illi congratulata est.

Videamus nunc, an adeò sit difficilis contritio, ut quidam arbitrantur. Conatus sum in principio hujus tractatus ostendere amorem Dei super omnia non habere eam in exercitio difficultatem, quam plerique opinantur; cùm ergo præcipua pars contritionis

tionis in hoc amore peccati displicentiam operante consistat, sequitur illam plus habere facilitatis, quam vulgus existimat.

Non deest illi auxilium divinum, cum Deus paratior sit ad illud largiendum, quam homo ad recipiendum, & nos potius defimus gratiæ, quam illa nobis desit: cum autem humana voluntas non modò bonum simpliciter; sed etiam summum bonum naturali propensione, teste Aristotele, appetere videatur; nihil deesse videtur nisi eligendi ratio; cum enim illa non fiat nisi ex præcognitis, juxta ejusdem sententiam, quia nemo eligit quod ignorat, restat ut maxima difficultas contritionis in eo versari videatur, quòd non satis advertat peccator, quantum inter Deum & res cæteras discriminis interfit, ac inde fiat ut tanta Majestas, tam eminentis bonitas, tam eximia sanctitas rei vilissimæ postponatur: hoc verò quàm homini Christiano, quem radius fidei illustrat, facile sit vincere, quis non videt? Si quidem, inquit S. Chrylostomus, Ethnicus esses & præsentia tantum admirareris, fortassis multum esset difficultatis; homo autem cælum expectans, & ea quæ sunt in cælo, dicis quomodo rerum caducarum cupiditatem repellam? Si auro proposito & lapidibus pretiosis, dicerem: Concu-

pisce plumbum; diceres: Quomodo id possum; si autem dicerem? Ne concupiscas, hoc multò facilius esset. Non admiror eos, qui caduca despiciunt, sed qui cælestibus caduca præponunt: hoc enim est animæ multa ignavia repletæ, nec muscis & culicibus præstantioris, humique repentis. Quid dicis? vitam hærediturus es æternam, & dicis: Quomodo contemniam præ illa præsentem? Vestem accepturus regiam, dicis: Quomodo contemniam præ illa pannosam? in Regis ingressurus palatium, dicis: Quomodo pauperem casam despiciam? non sunt illæ res æquè amabiles.

Cum ergo contritio in eo sita sit, ut Deum tam amabilem rei caducæ posthabuisse plurimum doleas, ejusque amicitiam rebus omnibus anteponas; si quanta sit Dei præ cæteris rebus amabilitas utcumque agnoscas, facildè utramque ab animo tuo impetrabis: præsertim cum amicitiam suam Deus offerat.

Tres illi Imperatoris aulici, de quibus S. Augustinus, qui lecta <sup>Confess.</sup> vitâ S. Antonij rerum omnium <sup>l. 8. c. 6.</sup> affecti despicientiâ, solius Dei amore succensî fuere; magnam in hoc facinore experti videntur facilitatem: unus enim ex illis iratus sibi & in amicum oculos conjiciens, ait illi: Dic quæso, omnibus istis laboribus

Aaaa nostris,

4  
Dæmonibus displicent.

6.  
Cæcitas hominum æterna caducis post habentium.

7.  
Excussa ab eis Augustini amicis.

nostris, quò ambimus pervenire, quid quaerimus? majorne esse poterit spes nostra, quam ut amici Imperatoris simus? amicus verò Dei si voluero, ecce nunc fio. Agnosco cum S. Augustino ignorantiam, & difficultatem in bono, ab inflicta à Deo ob peccatum Adami in omnes posteros pœna profluere, nec ab illo malo quemquam nisi Dei gratiâ liberari posse; sed simul agnosco cum Paulo, non sicut delictum, ita & donum, quod per Christum in nos abundantius promanavit; quo & ignorantia depellitur, & difficultas magnis, & continuis auxiliis sublevatur, ut meritò, si ad Deum non convertamur, hoc non tam difficultati, quàm ignavia nostræ, imò insaniam imputandum videatur. Quid est, inquit S. Bernardus, quod homines ad peccandum instigat, nisi ignorantia boni quod perditur, & mali quod peccando acquiritur? Amittitur peccando optimus Deus, acquiritur pœna gehennalis, quorum commutationem nullus appetit nisi prorsus insanus: hanc ignorantiam & insaniam disturbavit Christus Sol justitiæ tanquam præclari luminis cereus in hujus mundi carcere illuminatus & accensus, ut omnes qui illuminari voluerint, ad illum accedant, & de facto experiantur, ut ait idem Bernardus, isto lumine non

tantum ignorantia tenebras dissipari, sed & amorem quo difficultas vincatur, accendi: quid enim amanti difficile? Andreas Naddini Senensis homo sceleribus cooperatus, & vel ipsum confessionis nomen abhorrens, orante S. Catharinâ ad Christi apparentis & amorem benevolentiamque spirantis conspectum totus abijt in lachrymas, cordeque coneritur, & confessione animum expiat atque felici morte defungitur. Parem effectum in duobus latronibus ob suppliciorum acerbitatem, dæmonumque continua incitamenta propè jam in desperationem prolapsis, unicus sortitus est Christi conspectus, ut eorum deinde contritio, & patiendi alacritas omnes in admirationem raperet. Si tam facile ad Christum in terris agentem appropinquabant Publicani & peccatores; cur non æquè facilis ad illum jam pateat accessus? S. Augustinus, quàm facile hoc sacrificium spiritus contribulati; & per consequens contritionis Deo offeratur, indicare videtur his verbis: Intus, inquit, habeo victimam, quam immolem; intus habeo thus, quod imponam; intus habeo sacrificium, quo flectam Deum meum; Sacrificium Deo spiritus contribulatus.

CON-

De passione c. 8.

8.

Dammum peccati ex jactura summi boni, & reatu summi mali. Idem serm. 3. de vig. Nativit.

Christi conspectus peccatores convertit.

In Psal. 41.



CONSID. XIV.

De Communione.

I. Quanta  
Eucharis-  
tiae excel-  
lentia.  
Orat. 38.

**R**ECTè dixit aliquando Chri-  
stus S. Catharinæ Senensi,  
hominibus parum cognitam esse  
magnitudinem hujus Sacramenti:  
cùm antea Petro dixisset de eo-  
dem, cùm illi abluionem pedum  
præmitteret: *Quod ego facio, tu ne-  
scis modo scies autem postea.* S. Gre-  
gorius Nazianzenus vocat Deum  
pelagus quoddam essentiae im-  
mensum & interminatum, qui  
subobscurè sit adumbratus, non  
exiis quæ in ipso sunt, sed quæ  
circa ipsum sunt, priusquam te-  
neatur, & concipiatur effugiens,  
partem mentis præcipuam, eam-  
que perpurgatam ad instar fulguris  
celeriter transeuntis collu-  
strans: ut per id quod de illo  
comprehendimus, nos ad se tra-  
hat, & per id quod non compre-  
hendimus, admirationem sui ex-  
citet, magisquæ desideretur, & de-  
sideratus purget, purgansque nos  
divinos efficiat, ac tum cum tali-  
bus tanquam cum familiaribus  
conversetur, Deus diis unitus, &  
cognitus. Quæ omnia cùm ve-  
nerabili Sacramento convenient,  
merito à S. Thoma dicitur: *Tibi  
se cor meum totum subicit, quia te  
contemplans totum deficit.*

Itaque humili fide, spe firma,  
& charitate inflammata ad hoc  
cæleste epulum accedendum.  
Primùm ergò humilis fides adfe-  
renda: quia, ut ait idem Nazian-  
zenus post Salomonem, melior  
est pauper ambulans in simplici-  
tate sua, inops sermonis, & scien-  
tiæ (qui verbis simplicibus, Chri-  
sti scilicet, & sacræ Scripturæ in-  
nixus) in illis tanquam in parva  
& tenui rate salutem assequitur,  
quàm insipiens, qui disputationi-  
bus & argumentis ineptè confi-  
dit, & rem omni sermone subli-  
miorem differendo imminuit,  
ubi argumentorum infirmitas, est  
quædam extenuatio atque di-  
minutio veritatis. Quid in cælum  
provolas, cùm pedes sis, inquit,  
quid manu aquam, cælum palmo,  
terramque omnem pugillo me-  
tiris? Vide ne propter animi elat-  
tionem, pennisquæ propter vola-  
tus sublimitatem liquefactis mi-  
serè corruas. Crede, crede, ait  
S. Augustinus, fidelis es, non ra-  
tionalis; in hoc enim ad firman-  
dum cor sincerum sola fides suf-  
ficit. Hæc fides mira operatur in  
anima, & spei ac reverentiæ, amo-  
risque ardentissimi est fundamen-  
tum, hominemque à cogitationi-  
bus terrenis, ad cælestes & divi-  
nas elevat; unde sanctus Martia-  
lis ad Burdigalenses scribens,  
hanc escam ait in fide perfecta to-  
tam esse cælestem.

2.  
Ad illam  
accede  
Fide hu-  
mili.

Idem orat.  
26.

S. Aug.

c. 3. & 4.

A a a 2 Spes

<sup>3.</sup>  
Spe firma.

Spes verò ubi melius anchoram figat, quam in hoc venerabili Sacramento? Tria potissimum speranda nobis proponuntur, remissio peccatorum, gratia necessaria ad bonas actiones, perseverantia in bono usque in finem, quæ sola coronatur. Quod attinet ad primum, etsi hoc Sacramentum non sit Sacramentum mortuorum, sed vivorum, quis tamen sibi non persuadeat Christum, si quæ ignoratæ & involuntariæ superfint peccatorum tenebræ atque reliquæ, ut solem benignissimum, illas dissipare? quis non credat, dum suscipitur, ( ut olim à Zachæo ) ab anima omnibus ejus nutibus obedientissima, & obsequentissima, nec aliud quam ejus amicitiam respirante, etiam dicere: Hodie salus huic domui facta est? cur non in hoc convivio audiat anima de præteritis peccatis semel confessis, & ignoratis anxia, quod Magdalena dictum fuit: Vade in pace? De venialibus quotidianis Tridentini Concilij auctoritas sufficit, sive illa immediate dicas remitti, sive per actus amoris, ad quos excitandos auxilia subministrat. Vide, quæso Affuerunt in Estheris convivio amore simul, & vino incalcescentem in profusam etiam dimidij regni largitionem, & funestæ contra Judæos sententiæ commutationem ultrò se dilatantem, ut meri-

tò similia sperandi in hoc supremæ dilectionis epulo ansam habeamus.

Irrigari verò tum animam celestium gratiarum imbribus, quibus revirescat, & novis virtutum actionibus floreat, sanguis ipse Christi, quo tunc animæ hortulus imbuitur, mihi persuadet. <sup>4.</sup> Quid cam corroboret. Benedicitur Jacob à Patre, ubi nares ejus vestium fraternalium fragrantia afflavit, cur non idem tum præstet Pater æternus, dum illi omnium virtutum odoribus referta Filij sui humanitas præsentatur? Rectè rogat S. Anselmus, quibus convenientius fructum suæ mortis tribueret Christus, quam iis, pro quibus salvandis hominem se fecit? Adde & pro quibus alendis sese in cibum dedit? Quid misericordius, inquit, intelligi valet, quam dum peccatori tormentis æternis deputato, & unde se redimat non habenti Deus Pater dicit: Accipe Unigenitum meum, & da pro te: ipse verò Filius: Tolle me, & redime te. Hoc ipsi nobis dicunt, quando ad Christianam fidem, & hoc epulum nos vocant & trahunt. Quid etiam justius, quam ut ille, cui datur pretium majus omni debito, si eo, quo par est, datur affectu, dimittat omne debitum? E quibus verbis Anselmi collige, quantum ex hoc Sacramento, in quo nobis Christus cum thesauris suis consignatur,

tur, tum ad debitorum remissionem, tum ad subsidia gratiæ impetranda habemus præsidij & adjuvamenti.

5. *Contra demonem s. Chryf. hom. 45.*  
 Dæmonem times tanquam serpentem calcaneo tuo, & in bono perseverantiæ insidiantem, fugiunt illi Christum, ejusque solium in Eucharistia, in quo Rex de illis triumphator cælestium militum coronâ cingitur; fugiunt ejus domus vestibulum, cujus postes tam sancto sanguine rubescunt: paravit in conspectu nostro mensam adversus eos qui tribulant nos: non ferunt tartarei isti leones flammæ ex hoc Sacramento erumpentes.

6. *Contra merum cæcitatæ spiritualis.*  
 Times cæcitatem animis à peccati corruptione offusam? Christum habes, qui est lux mundi; ad quem te mittit Vates Regius, dicens: *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestra non confundentur.* Quem Joannes Damascenus vocat carbonem ignitum illuminantem corda, qui & melle Jonathæ & felle Tobia in eum finem plus habet virium; ut sicut cibus pomi vetiti aperuit primorum parentum oculos in malum, ita hic in bonum: est collyrium, ad quem cæcitatæ interioris discutiendæ gratiâ mittimur in Apocalypsi; est panis, in cujus fractione Emauntis peregrini magistrum suum & cælestium secretorum Doctorem agnoverunt.

Fortè fomitem carnis (qui nihil est aliud, quàm inclinatio naturalis ad bonum sensibile habens annexam deformitatem ad rectam rationem) pertimesces, & meritò; quia nihil æquè firmitatem animi & perseverantiam in bono concutit, & labefactat: sed ipse aculeus multum debilitatur, & infringitur per hoc Sacramentum: cum proprium cibi sit, ut assuilet comedentem, & præstantia qualitarum, quibus posset, cor contra venenatos humores corroberet, atque ad eos discutiendos vires subministraret. An non ad præsentiam arcæ truncatis manibus corruiat Dagon? an non ad tactum simbriæ fluxus sanguinis stetit in femina?

7.  
*Contra fomitem peccati.*

Denique S. Bernardus ita de hoc singulari beneficio loquitur: Ibi animus seipso altior effectus, quanto magis sursum tollitur, tantò magis extenuatur, ita ut omnem terrenæ concupiscentiæ nebulam evaporans, torus spiritualis hominem in homine exurat.

*Sermone in cœna Domini.*

Ultimum & primum spei 8. objectum est gloria æterna, cujus pignus in hoc Sacramento habemus; cum dicat Christus: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Hinc S. Bernardus Ecclesiam & simul animam justæ compellans, dicit: Gratulare sponsa, gaude, incomparabiliter præstentem.

8.  
*Æternæ gloriæ consequentia.*  
*ibid.*

dentem habes, & Rectorem sponsum in præsentis exilij militia; pignus habes, arrham tenes, quibus feliciter sponso uniaris in patria. Hic reverà quasi dulce præludium & jucunda desponsatio, ibi nuptiale convivium, & beata fiet conjunctio, cum de fide ad speciem, de mensa ad mensam, de Sabbatho ad Sabbathum, de calore panum ad æternalis convivij calorem transibimus; interim deliciarum & gaudere debemus in Sacramento altaris. Cur non præstet hic cibus quod alius, qui per quotidianam accretionis augmenta perducit hominem ad statum perfectum & consummatum? Cibus iste, ait idem Sanctus, non est datus ad ruinas hujus vitæ, quæ vapor est ad modicum parens, sed ad æternam vitam animæ conferendam; illuc reducit hominem, unde traxit originem.

9. Sed ad præcipuum hujus Sacramenti bonum ac præcipuam ad illud sumendum dispositionem, quæ in ardentissimo amore consistit, veniamus; ad illud enim demum accedes, si Sancto Bonaventuræ credis, cum totus alteratus, & ignitus fueris: est enim, juxta Bernardum, amor amorum: ubi animus boni Sacerdotis, inquit, seipso altior effectus, conatur, festinat, ascendit, crescit desideris. Ut hoc assequaris, institue apud animum tuum triplicis in

9. Fundata in amore Dei in nos triplici.

Ibid, sup.

Deo erga nos amoris commemorationem, ut S. Mechtildem Christus ipse docuit. 1. Amoris æterni, quo Deus nos dilexit, ac deinde creavit, tot defectus nostros præciens. 2. Amoris inestimabilis in passione Christi. 3. Amoris inscrutabilis, quo nostri sollicitus singulis momentis nobis, bonoque nostro intendit. Quis tanto amori respondeat? bonâ voluntate, & amandi desiderio, id quod hac in parte deest, supplere nos oportet. Debes, inquit Deus Mechtildi, Sanctorum merita, & desideria tibi sumere, ac si omne desiderium, & omnem amorem, quo unquam corda Sanctorum flagrarunt, haberes, sicque in altissimo amore, quo possibile est cor humanum affici, ad Christum accedere: qui hoc fecerit, ego eum amorem suscipiam, non prout est in illo, sed velut si tantus esset, quantum esse ille volebat.

#### CONSID. XV.

##### De imitatione Christi.

Hanc Deus suadet, hanc Christus expetit, ad hanc Apostoli nos invitant, hanc à nobis exigit utilitas nostra, imò necessitas: hæc attentius consideranda.

I. Pa-

1. Patrem æternum nobis hanc imitationem luculentis verbis suadentem habemus in istis verbis : *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Quæ verba expendens & gustans S. Augustinus ait : Gratias tibi Deus, æterna Virtus; gratias tibi Deus Pater omnipotens, qui & Filium tuum ostendisti, & mihi doctorem dedisti. Imò verò ex illis verbis colligit S. Cyprianus, eum solum audiendum, & imitandum. Quod Christus debeat solus audiri, Pater etiam de cælo contestatur, dicens : *Hic est filius meus dilectissimus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Quare si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid alius ante nos faciendum putaverit, sed quid, qui ante omnes est, Christus prior fecerit.

2. Ipse verò Christus, quàm blandè nos ad sui imitationem pluribus locis invitat ? In ultimâ, quam habuit cum discipulis suis sermocinatione, cùm dixisset illi Thomas: *Domine nescimus quò vadis, & quomodo possumus viam scire!* Respondit: *Ego sum Via, Veritas & Vita.* Meritò, inquit S. Leo, Dominus ipse factus est nobis via, quia nisi per Christum non itur ad Christum : per ipsum autem ad ipsum tendit, qui per semitam patientiæ & humilitatis ejus incedit. & alibi: *Illa, inquit, currenda*

nobis est via, quam ipse Dominus se esse testatus est: *Via scilicet in forma conversationis justæ, veritas in expectatione rei, certæ, vita in perceptione felicitatis æternæ: ut meritò videatur, ut ait S. Augustinus, interrogare nostrum unumquemque: Quà vis ire? ego sum via: quò vis ire? ego sum veritas: ubi vis permanere? ego sum vita. Ambulare vis? ego sum via: falli non vis? ego sum veritas: mori non vis? ego sum vita.*

An non ad imitationem suæ humilitatis & mansuetudinis nos provocat ipse Christus: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: an non dum ingeminat: Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis? an non dum minatur & suo consortio eos, qui non imitantur, & sequuntur, indignos pronuntiat? dicens: Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus? Nec voluit ipse alium à nobis magistrum quæri: *Nec vocemini, inquit, magistri, quia Magister vester unus est Christus: quem promiserat nobis Deus per Jlatam: Erunt oculi videntes Preceptorem tuum, & aures tuae audient verbum post tergum monentis: Hæc est via, ambulate in ea, & non declinetis, neque ad dexteram, neque ad sinistram.**

Jam si Apostolos de via ad perfectionem compendiosa interrogemus,

Oratione de quinque hæresibus 1,7.

Epist. 63, 6,6.

Christus ipse expone.

Serm. 16. de pass.

Serm. de Epiphani.

Super Matth. 6, 5. & super Ioan.

Matth. 22.

Matth. 10.

Matth. 23.

Isa. 30.

3. Apostoli suadent.

gemus, quid aliud respondebunt, quam quod scriptis suis Ecclesie toti relictis inferuerunt? & Petrus quidem, *Christo passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.* Et quare, quæso, hac nos cogitatione muniti & corroborari vult, quia ut prius dixerat: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus.* Joannes verò imitationem signū esse inhabitantis in animā Christi asserere videtur, dicens: *Qui dicit se in ipso manere, debet, sicut ille ambulavit, & ipse ambulare.* S. Paulus verò quā sæpè hoc salutare exemplar Christi proponit? *Estote, inquit, imitatores Dei, sicut filij charissimi & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit vos.* Nec solam Christi dilectionem imitandam, sed ad cæteras ejus virtutes, velut aliquod animæ ornamentum sectandas animat: *Induimini Dominum Jesum Christum: & suscipite invicem sicut Christus suscepit vos: & Corinthios suo exemplo ad Christi imitationē accendit: Imitatores mei estote, inquit, sicut & ego Christi.* Quis non illa prima Ecclesie capita, totiusque mundi destinatos magistros, qui omnem operam in Christi consecrandis vestigiis, virtutibusque exprimendis posuerunt, sibi censeat audiendos, & imitandos? præsertim cum in eo totius salutis nostræ cardo vertatur?

Quid enim nobis utilius aut honorificentius potest accidere, quam quod imitatoribus & sequacibus suis ipse promisit Christus, dicens: *Si quis mihi ministrat, me sequatur, & ubi sum ego, illic & minister meus erit? Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus?* Quid verò est ministrare Christo, nisi ejus affectam, discipulum, & imitorem esse, & quid gloriosius & utilius, quā hac in vita ad æternæ gloriæ societatem cum Christo, & ad honores æternos ab ejus Patre conferendos aditum sibi munire! Quā parum sapiant, qui aut ad virtutum ascensionem, aut ad æternam felicitatem adipiscendam aliis viis grassantur: cum dixerit Christus: *Qui non colligit mecum, dispergit.* & Bernardus: *Incaustum laborat in acquisitione virtutum, qui eas alibi, quā in Christo quærit.*

Quid quòd ad hanc utilitatem accedit necessitas: Christi enim nos servos, & imitatores in baptismo professi sumus: ipse tum nos liberaliter in servorum numerum accepit, voluntate nostrā, & promissione solā voce factā contentus; quod meritò admiratur S. Chrylостomus. *Servum empturus aliquis, inquit, prius interrogat, an servire sibi velit, tum an futurus sit utilis inspicit, inutilem recusaturus; at Christus maximum & excellentissimum pre-*

4.  
Et utilitas  
nostra.

Qui  
lam  
mif  
De  
l. 2.

5.  
Imò &  
necessitas.

L. 1. c. 1.  
v. 1.  
res. v. 1.  
m. 1.

Et C  
hian  
men  
guit.  
De p  
Cris  
firm

tium sanguinem suum, priusquam vellemus illi servire, erogavit pro nobis omnibus, & quantumvis improbos recipit sine obsidibus, sine chirographo, solâ voce contentus: Abrenuntio satanæ: arqui servus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens, vapulabit multis.

Hinc S. Basilius audeat de baptizato dicere; Irrevocabili pacto se adstrinxit ad hoc, ut Christum sequatur in omnibus: quod & probat verbis Apostoli: *Consepul- ri igitur illi sumus per baptismum in mortem, ut quemadmodum exci- tatus est Christus ex mortuis, ita & nos in novitate vitæ ambulemus*: quæ vitæ novitas consistit in Christi imitatione, & placitis ejus servan- dis, & comparatione ad circumci- sionem, de qua ita loquitur Apo- stolus: *Contestor iterum omnem ho- minem circumcidentem se, quod debi- tor est totius legis servanda*: quanto magis baptizatus, inquit, debitor est servandi Apostolici dicti, *Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Christus, ad cujus imitationem vi- tam meam conformo*.

Gregorius verò Nyssenus re- cte nos hortatur, ut tales nos præ- stemus, quales requirit istius no- minis (quo Christiani vocamur) excellentia: ne falsò vocati Chri- stiani videamur, sed ex vita testi- monium habeamus: neque enim quia aliquis ita appellatur, idcirco talis est; sed ubi talis fuerit, tum

meritò nomen quod conveniat, accipit: v. g. si arbore aut petram, hominem esse dixerim, ideòne erit homo? minimè verò; ita qui se Christianos nominant, prius oportet, ut sint: erimus verò, si ea, quæ in Christo sub imitatio- nem cadunt, imitemur, quæ verò excedunt, ea veneremur & cola- mus. Quàm verò perfecta debeat esse hæc imitatio, hac similitudi- ne exprimit: Quemadmodum si pingendi artem disceremus, ma- gister aliquam nobis pulcherri- mè depictam formam in tabula proponeret, cujus in sua quemq; pictura oporteret pulchritudine imitari, ut omnium tabulæ ad propositum exemplar pulchrè ex- primerentur; ita nobis Christus ad imitandum proponitur; artifex hujus operis voluntas nostra est, colores ad exprimendam imagi- nem virtutes sunt. Periculum est ne negligentia nostrâ à pulchri- tudine exemplaris ad deformem aliquam personam repræsentan- dam recedat imitatio, si pro Do- mini forma effigiem vitij sordid- dis coloribus adumbremus, o- portet virtutum colores puri sint, & peritè commisceantur, ut ima- go imaginis simus. Quod agebat Paulus: qui Corinthios ita com- pellat: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi*. Et Deum Patrem af- firmat, eos quos prædestinavit, & vocavit & justificavit, velle esse

Bbbb con.

4. Et unice nollit.

6. Quia il- lam pro- misimus. De Baptism 1. a. q. 1.

5. no & ecclesia.

7. Et Chri- stiani no- men ac- quit. De prof. Christi ani- firma.

3. enon imperat- s outa onaf.

conformes imagini Filij sui, qui est imago Patris: denique si ab hoc S. Patre quæras quid sit Christianismus, dicet tibi esse professionem imitationis Jesu Christi: ut merito, qui Christiani dicimur, non aliter quàm Platonici & Pythagorici suorum Magistorum placitis adhærebant, & ad illa vitam moreſque conformabant, ita nos in omnibus Christum sequi, & ad ejus leges & exemplum vitæ cursum instituere oporteat, malo nostro facturi, si contra insistamus. De hoc à vitâ functis ad nos instruendos hac de re ad hunc mundum remissis monemur. Gosbertus quidam è Cisterciensi ordine conversus, ab Angelis ad B. Virginem, quam devotè coluerat, deductus, & ad pedes ejus residens, cum illic mirâ jucunditate frueretur, jussus est ad corpus remeare post tres dies ad eadem gaudia rediturus, uti evenit: id temporis inter cætera astantes ita est allocutus: Vos, Domini, numeratis annos conversionis vestræ, alius quadraginta, alius triginta, alius decem: ego verò vobis dico beatum illum esse, qui bene uno anno, vel mense, vel quod minus est, unâ hebdomadâ in Ordine est conversatus: qui scilicet ut alteri converso Rudolpho ejusdem Ordinis ostensum est, conversatione suâ Christum expresserit; vidit enim ille orans

nocte loco patenti, Christum cruci affixum luce circumfusum, & undecim circa illum suis quemque crucibus suffixos; cumque ad hoc spectaculum stuperet, dixit ad illum Christus: Nosti Rudolpho, qui sint hi, quos circa me vides crucifixos? Respondit ille: Novi Domine, sed quid hoc sibi velit, non intelligo. Subjunxit Dominus: Hi soli ex omni congregatione mecum crucifixi sunt, vitam suam meæ passioni conformantes.

Hinc oriebatur in B. Magdalena de Pazzi opinio illa, futurum, ut in die judicij multos conspiciamus ad altissimum gradum felicitatis evehctos, quos hinc contemptui, & deridiculo habuimus; quia in altera vita, ad mensuram imitationis & conjunctionis ac conformationis cum Christo gloria rependetur: hinc addebatur. Etsi sciret unius verbi pronuntiatione, ad majorem Seraphinis gloriam promovendam, quod ex charitate erga Christum, & conformitate ad ejus actiones non manaret, & verbi illius pronuntiatione careret offensa; se tamen eam conditionem non accepturum, ne Christo, qui omnia ex amore in Patrem operatus est, esset dissimilis.

Cæsarius  
l. 11. c. 1.

8.  
Et pro  
imitatio-  
nis ratio-  
ne datur  
merces in  
cælo.

CON-



CONSID. XVI.

De imitando Christo in con-  
temptu commoditatum  
corporis.

1.  
Imitandus  
Christus  
in incom-  
modis.

Possem hinc dicere, quod S. Bernardus Henrico quondam Magistro suo ad imitandum hac in parte Christum moras trahenti: Quid mirum si inter prospera fluctuas & aduersa, qui necdum statuisti supra petram pedes tuos? hærebat enim, quod Christum per aspera gradientem intuens ad eum sequendum satis animi non haberet: quem, ut ait ibidem vir sanctus, si apprehendere cupis, citius illum sequendo, quam legendo consequi potes: quid enim aliud in Euangelio, & Scripturis sacris legimus, quam Christum, cum vitam corpori minime onerosam eligere potuisset, oppositum in natiuitate, fuga in Ægyptum, in paupere inter fabriles labores vitâ, maximâ ætatis parte amplexatum esse; atque omnes hæc molestias triennali in prædicando cursitatione & fatigatione, & denique exquisitissimis in fine vitæ cruciatibus conclusisse? id scilicet egit, ut nos ad imitandum provocaret, & ad abdicandas corporis illecebras animaret, idque multis de causis.

1. Quia intestinus hic hostis in omnis generis hominibus periculosos laqueos tendit. Quot ex infima sorte hominum exitus gulæ oblectamenti extrema salutis adire discrimina conspicimus? quis non omni commiseratione dignum duceret illum hominem, qui ut equum adaquet, se altissimo fluminis gurgiti submergendum immittit? Quot inter plebeios promiscuè reperies similes illi virgini, quam describit Petrarca, quæ cum mulæ insidens iter cum pedisequa faceret, & densam silvam offendisset, in qua duæ se aperiebant viæ, una latronibus infestior alterâ, nullum super hoc à peritis consilium exquirens, frænum mulæ suæ in ejus collum abjecit, ut illa quam vellet, eligeret, quæ rectâ in latronum manus illam invexit, miserè ab illis spoliandam, & omnibus afficiendam injuriis. An non id agunt è vulgo plerique, qui in deligenda vitæ ratione, dum carni nimium consulere volunt, ejusque commoditatibus ante omnia servire, multis peccatorum occasionibus, & laqueis se miserè induunt.

3. Nec ab hac vefania longè ab-  
sunt plerique hominum, qui su-  
pra vulgus aliquid sapere viden-  
tur, qui etiam ab hac fallaci ca-  
runcula in fraudem inducuntur  
exitu fiendo & pœnitendo: quod  
Bbbb 2 para-

2.  
Ad vitan-  
dum salu-  
tis pericu-  
lum.

3.  
Insistendo  
vig. tutiori  
licet ma-  
gis aspe-  
ra.

parabolicè in S. Antonino descrip-  
tam legimus. Duo, inquit, fra-  
tres, unus sapiens & alter fatuus  
simul in patriam remeabant: ve-  
neruntque ad bivium, ubi à pasto-  
ribus loci audierunt viam unam è  
duabus primo aspectu asperam &  
horridam, ad patriam quam repe-  
tebant certò ducere, alteram verò  
planam & delectabilem pericu-  
losam esse, latronibusque infes-  
tam. Asperam quidem è fratribus  
sapiencior inire volebat; sed fatui  
verbis, & sollicitationibus indu-  
ctus per aliam ingredi consensit.  
Capti à latronibus, & in carcere,  
mortemque obducendi dum si-  
mul gemunt, fatuo impropertavit  
sapiens tanquam omnium malo-  
rum auctori. Imò verò fatuus, in-  
quit, tibi imputa, qui me fatuum  
noveras, nec verbis meis acquie-  
scere debueras. Hos duos fratres  
animam, & corpus repræsentare  
ait, è quibus anima æternorum &  
recti conscia ab hac Dalila in si-  
nu dormiente, carne inquam, de-  
cipitur, excæcatur, illuditur, &  
miseriis innumeris circumfundit-  
ur: an non uxorius Adam à sua  
sociâ, & sanctissimus David ab  
hac carne voluptatis conciliatri-  
cula, & sapientissimus Salomon  
ab eadem omnium malorum sen-  
tina in extremam perniciem præ-  
cipites iverunt?

4.  
Memento  
id Christo

Vidit scilicet id Christus & suo  
exemplo medicinam facere vo-

luit, non satis apud omnes Chri-  
stianos eo quo par est pretio æ-  
stimatam: nec contentus exem-  
plo, verbis etiam, & præmio pro-  
posito ad eam accipiendam ani-  
mos nobis addere voluit; dum  
crucem, quæ in commoditatibus  
corporis abjiciendis ex parte  
consistit, ut rem maximè salutarè;  
imò & sequacibus suis necessariò  
amplectendam sæpissimè prædi-  
cavit: *Qui non bajulat crucem suam,  
& venit post me, non potest meus esse  
discipulus.* Imò, si Ambrosio cre-  
dimus, eam ut rem sibi maximè a-  
mabilem testamento legavit. Au-  
thor pietatis, inquit, in cruce pen-  
dens testamentum condidit, sin-  
gulis pietatis opera distribuens,  
Apostolis persecutionem, Judæis  
corpus, Patri spiritum, Virgini  
paranymphum, latroni paradisi-  
um, peccatori infernum, Chri-  
stianis verè pœnitentibus crucem  
commendavit. Hinc audeo Apo-  
stolus dicere: *Qui Christi sunt, car-  
nem suam crucifixerunt cum vitiis, &  
concupiscentiis.* Hinc est quod Cle-  
mens Alexandrinus dicat, Chri-  
stianum athletam esse, qui adver-  
sus spirituales Potestates depu-  
gnet, quæ per carnem nostram  
operantur vehementes vitiorum  
& affectionum motus; quâ pro-  
pterea vir sanctus gladium dæ-  
monis appellabat: qui cruce re-  
tunditur, & infringitur.

SS. Patres ad hanc pugnam  
con-

In carni-  
bus ad-  
versus car-  
nem.

conquisitis undique argumentis nos animant. S. Gregorius Nazianzenus à natura & vilitate carnis stimulos addit, quam cœnum, luteam pedicam, plumbum deorsum vergens, feram indomitam, pugnantis materiæ sobolem, ac suæ heræ ac cœlestis imaginis vinculum appello quam rari vincunt & à qua multi superantur.

Ad Marty-  
rum.

Tertullianus accersitis, ab Ethnicorum contra illam fortitudine, rationibus, mirum in modum contra nostram molliem declamitat: Colloquatur, inquit Spiritus, cum carne de communi salute; timebit forsan caro gladium, crucem, rabiem bestiarum summam, ignium pœnam, & omnecarnificis ingenium in tormentis: sed Spiritus contraponat sibi & carni acerba licet ista, à multis tamen æquo animo excepta, imò & ultrò expetita famæ & gloriæ causâ, nec à viris tantum, sed etiam à fœminis; & post allata exempla, Lucretiæ, Mutij, Heracliti, Empedoclis, Peregrini, uxoris Afrubalis, quæ videns maritum supplicem Scipioni, unâ cum liberis in incendium devolavit, Cleopatræ, Reguli mœtricis, quæ sibi linguam exsecuit in tormentis Lacedæmoniorum puerorum *δὲ ἀποκρίματα*, addit: quos otiosos affectatio armorum ad gladium locat? certè ad feras ipsas affectatione descendunt, & de

morsibus & de eicatricibus formosiores sibi videntur: jam ad ignes quidam se autoraverunt, ut certum spatium in tunica arden- te consisterent: alij inter venatorum taureas, scapulis patientissimis inambulaverunt. Hæc non sine causâ Dominus in sæculum admisit; sed ad nos & nunc exhortandos, & in illo die confundendos, si reformidaverimus pro veritate in salutem, quæ illi affectaverunt pro vanitate in perditionem.

Alia argumenta à sceditate peccatorum, quæ per carnem committuntur, à nonnullis congeruntur. S. Chrysostomus in Genesim notat à Spiritu sancto homines virtute præstantes carnis expertes dici, homines verò carnales carnem appellari. Cùm Deus dixit: *Spiritus meus non manebit in homine*, per Spiritum Dei, animam ad Dei imaginem creatam, aliqui intelligunt, quasi Deus pudori duceret imaginem suam in tam vili arcula contineri.

Cyprianus verò hanc carnis sceditatem rerum molestiorum tolerantiam aliquo modo abstergi insinuat; dum dicit tunc in carne gloriandum, quando cruciatur, quando ferrum ignis & bestias patitur. Illa enim sunt, ait, pretiosa carnis monilia, illa corporis ornamenta meliora.

Sed cœlestium bonorum desiderio

Bbbb 3

6.  
Et pecca-  
torum  
sceditate.  
Hem. 22.

7  
Et cons.

quendam  
gloriam  
caelestem.

L. de Arca  
Noë  
super Psal.  
104.

L. 2. c. 29.

derio ad exuenda quæ sunt carnis nos accendi vult Apostolus, dum ad Corinthios scribens: *Licet, inquit, qui foris est noster homo corrumpatur, tamen qui intus est renouatur de die in diem: quasi ab unius corruptione alterius innovatio & robur exurgeret.* Hinc & monet S. Ambrosius eum, qui vult perfectam purgationem consequi, à corpore & sensibilibus se disiungat. Exuat unusquisque animam involucris sordidioribus, & quasi aurum igni approbet detersam luto, fumatque inde alas, quibus sicut flamma ad superiora dirigatur.

Ita docuit aliquando S. Brigitam S. Joannes Bapt. dum corpus comparat nido, quem avis, & maximè pica ex rebus inveteratis componit; ita corpus nostrum ex materia veteri construitur: cum pulli jam grandiores alas inducunt, illos mater ad volandum provocat cibo, voce & exemplo: ita facit Deus, nos ad nidum corporis deserendum caelestium rerum delectatione & gustu velut cibo, & Scripturarum sacrarum sententiis, exemplo denique suo suaviter allicit, & ad sublimiora cæli pabula confectanda, quò longius à nido nos avocet, ipsâ suavitate sanctæ consolationis invitât; ut verum sit, quod olim solitario dixit: Da mihi carnem, & dabo tibi spiritum. In medio quo-

dam loco anima constituta est, inquit Augustinus, & legem accipit hærerere Superiori, regere inferiori; quod facere nequit, nisi à meliore & superiore Deo scilicet regatur: si trahitur & adhæret inferiori, meliorem & superiorem deserit, nec potest regere, quod regebat, quia noluit regi à quo regebatur. Hinc rectè monet animam, ut revocet se ab exterioribus ad interiora, & ab inferioribus ad superiora, ut adhærens Deo, inferiora calcare discat, ne recedens ab illo, ista in supplicium convertantur. Tanto, inquit alibi, firmitus gaudebis, quanto est ille certior, in quo gaudebis.

### CONSID. XVII.

#### *De imitatione Christi in contemptu Iudiciorum humanorum, & concupiscentiarum.*

Satis advertit Christus, qui est sapientia æterna, quantum hominum iudicia & linguæ ad timidos mortales à virtutis prosecutione avocandos, aut retardandos haberent momentum; idcirco suo etiam exemplo hunc óbicem disturbare, & sectatoribus suis ad illum contemptu superandum animos addere voluit. Primò iudicia

I.  
Imitandus  
Christus  
in contemptu  
iudiciorum  
humanorum.

Qui  
ceru  
Apo

cia humana de vili & plebeio suo ortu nihili fecit, quin obscuro loco natus, & fabri filius, & à Nazareth, unde nihil arbitrabantur boni esse, oriundus haberi voluit. Deinde literarum rudis, & omnis expertus scientiæ dum publicè ab aliquo diceretur, tacuit. Unde hic literas scit, cum non didicerit? Præterea cum illum contumeliosè Samaritanum, imò & à dæmone obsessum proclamarent; cum vini potatorem, & seductorem dicerent, imò & infamis cum peccatoribus societatis accusarent; nihil commoveri visus est. Denique cum furis agitur, vel furore correptum & vinculis constringendum propinqui arbitrentur, quasi auribus careret, ne verbulum quidem opposuit: postremò cum ut malefactor & seditiosus, ac læsæ Cæsareæ Majestatis reus apud Pilatum & Herodem & frequentes hominum confessus peteretur ad supplicium, nihil pro justa sui defensione adferre voluit, stupente Præside, & nonnullis, & arbitrator, ex adstantibus, quos invidia non accenderat.

2. Quid fecerunt Apostoli,

Hoc Christi exemplum, quantum in viris gravissimis habuerit ponderis, & quantum in nobis ad judicia vocelque humanas contemnendas habere debeat, videamus. Apostolos lætitiâ perfusos legimus, quòd digni habiti essent

pro nomine Christi contumeliam pati. Paulum audimus in contumeliis gloriantem, & ab humano die profecta judicia nihili æstimantem, Gregorium Nazianzenum, dum in Christum oculos convertit, intemperatium linguarum voces atque convicia pro stillantibus pluvie guttis habentem: Juniperum ad excipienda probra, tanquam cæli gemmas vestis sinum aperientem: Elzearium ad famulorum falsas delationes, & sinistra inde in propinquo enata judicia obmutescentem legimus. Unde, quæso, in istis fortis, & taciturna, & læta patientia? non aliunde, quam ab attentata Christi inter similes injurias silentis contemplatione, & exemplo.

3. Et primi Christiani.

Quam atrocitas in Christianos in primis Ecclesiæ incunabulis jactata sint judicia & probra, apud Minutium Felicem, & Tertullianum sigillatim expressa habemus; de nocturnis cæcibus, & post nescio quas cæremônias extinctis luminaribus, impuris congressibus, de adoratione ad poplites Antistitis foedissimâ, de infante cæcis occultisque valneribus inter illa sacra occiso, ejusque sanguine ad arctius conjurationis vinculum in commune propinato; de altaribus homini pro facinoribus punito erectis, de crucis ligno serali adorato, & similibus; quæ

quæ quomodo tulerint Christiani videamus.

Imitantur scilicet Christum, tacent, aut modestè respondent: Primò Minutius has à demonibus, qui propagationè fidei verébantur, excogitatas calumnias dicit; ut, inquit, ante exploratam veritatem homines à nobis averteret: naturale enim est odisse, quos times, & quem metuis, infestare si possis. Sic occupant animos, & obstruunt pectora, ut antè incipiant homines nos odisse, quàm nosse, ne cognitos aut imitari possint, aut damnare non possint. Idem ferè respondet Tertullianus: Quid iniquius, ait, quàm ut oderint homines, quod ignorant, etiamsi res meretur? tunc enim meretur, cum cognoscitur an mereatur.

4.  
Oblocutores sunt  
senæ.

An non ad exemplum Christi velut ad amissim conformata, & concinnata intuemur, qui ad Pharisæorum crebras, & insolentes, & invidiosas calumnias respondet interdum, & sæpè velut per contemptum dissimulat.

Ranam ferunt si in fontana & limpida aqua collocetur, non coaxare, sed silere; si ad palustrem & turbidam transferatur, à clamoribus non cessare; ita qui Christi in ferendis hominum judiciis, & conviciis taciturnitatem velut in limpido fonte, & patientiæ speculo intuetur, atque in ista contem-

platione constanter hæret, quantumcumque provocetur injuriis, facilè silentium servat; ubi verò corruptæ naturæ cano redditur, continuò clamores clamoribus, & judicia judiciis, conviciisque conviciis reponit.

Hauferat ex hoc limpidissimo fonte virtutum Christi admirabilem in conviciis animi æquitatem Joannes Abbas cognomento Brevis: cum enim illum sedentem ante fores Ecclesiæ circumstetissent fratres, & ab eo consilium, auxiliumque super cogitationum suarum victoriam exquirerent, illeque omnibus responsum daret, senex quidam è solitariis superveniens ad hoc spectaculum, invidia commotus amarulento scommate Joannem quasi gloriæ humanæ cupidum, & discipulorum concursu gaudentem carpens dixit altâ voce: Ecce Joannes sedet ad instar meretriculæ ornantis se ipsam, ut congreget conciliisque sibi amatores. Quod Joannes audiens: Sic est, inquit, Abba, & ita res se habet, ut dicis, & hoc ipsum tibi Deus revelavit. Non stetit hinc fenis invidi amarulentia; sed addidit: Verè cor tuum, Joannes, veneno plenum est. Non magis, quàm antè immotus Joannes respondit: Ita est Abba, ut dicis, & ita quidè loqueris, quia exteriora mea dumtaxat conspicis; si quæ  
in

5.  
Harum unam ut contem-  
plentur Jo-  
nes Brevis  
in eum  
PP. 1. 3. 4.

6.  
Et S. P.  
restitu

in me latent aspiceret, longè plura diceret. Mirati sunt benignum ejus animum universi, & cum ceteri discessissent, ac unus illum secretò rogasset, an non aliquid perturbationis inter ista convicia pensasset, respondit: Minimè, sed eandem quam lingua & vultu præ se tulerat tranquillitatem, animo etiam se tenuisse.

6. Et S. Florentinus. Hauserat & Arlottus Florentinus, qui exemplo Christi convicianti dixit, aures suas non esse cloacas, quæ sordes excipiant, easque in animum transmittant; aurium suarum dominium Christi beneficio se assecutum.

Hauserat Dorotheus, quem cum frater quidam ab infirmitate ad templum usque conviciis esset infectatus, idque resciscens Superior delinquentem punire vellet, ad pedes ejus se abjecit, se solum errasse protestatus.

Verum quidem est quod Sapiens dicit: *Calumniæ conturbat sapientem*; sed primà dumtaxat commotione, quæ ad primum Christi patientis conspectum conquietur. Id aliquando indicavit Apollo inter solitarios ob virtutum studium celebris, qui cum sanguinem spueret, alteri causam roganti respondit; se convicio alterius commotum, dum illud silentio concoquit, & digere conatur, in sanguinem versum; quem ubi exspuit, animum pristi-

næ suæ tranquillitati redditum. Cæterum homini in Christi imitationem sedulo incumbenti, id accidere persuasum habeo, quod adamanti, cui nec malleus, nec ignis, quòd potis careat, nocere potest, & omne convicium habere se ad instar teli, quo infans aliquis aut aquam perforare, aut ignem compungere, aut aërem vulnerare vellet: sicut enim, ut ait S. Hilarius, in natura non est aquam forari, aut ignem pungi, velaëra vulnerari, quamvis natura teli sit vulnerare, compungere, & forare; ita convicia si in hominem passionibus obnoxium inciderint, alitè quidem vulnus imprimunt; si verò in animum Christi exemplo & imitatione munitum, tela esse imbellia sine ictu.

CONSID. XVIII.

*De imitatione Christi in aliis virtutibus.*

**V**irtutum aliquæ erga Deum hominem disponunt, aliæ erga seipsum, aliæ erga proximum: longum esset de omnibus exempla ad imitandum ex Christi vitâ proponere, nonnulla tantum delibabo.

I. Imitandus in amore Patris æterni.

Erga Deum Patrem quantus in Christo amor, quanta voluntatis conformatio, quanta submissio

Cccc &

& obedientia! amorem ostendit, dum ut Patri gratificetur, acerba quæque devorat, & ad durissimam mortem alacriter progreditur:

Ora. 14.

*Vt cognoscat mundus, inquit, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio: surgite, eamus hinc: nunquam melius amas, quam dum ut alteri commodes, tibi incommodas; amans anima rubo ardenti & incombusto similis est; nam amoris igne tota inflammatur, & nihilominus spinis laborum, & malorum, undique horrescit; quæ tantum abest ut ab igne consumantur, ut ab illo potius custodiri, & conservari, quasi ille spinarum aculeis delectaretur, videantur.*

2.  
Inter vitæ  
aspera.

Imitemur hunc Christi amorem; & amando, inter spinas hujus vitæ perseveremus: ascendat interim animus noster sursum ad instar ignis: dixit enim Dominus, inquit S. Ambrosius, Surgite eamus hinc; præcipiens, ut unusquisque surgat de terrenis, erigat animam humi jacentem, excitet aquilam suam, hoc est animam suam, quæ sicut aquila alta petat, supra nubes volet, renovatis splendescat exuviis, cælo volatus suos inferat, ubi laqueos incidere non possit.

3.  
In paupertate.

Erga seipsum quanta in Christo vigerit austeritas, quanta rerum omnium abdicatio atque paupertas Evangelia testantur;

præsepe & spelunca, & in Ægyptum fuga & plurium annorum exilium abundè loquuntur; quare quasi colonus futurus es in terra, ait Hieremias, & quasi viator declinans ad manendum, quare futurus es veluti vir vagus? quam hujusmodi vita multa trahat secum incommoda patet, cum domicilio careat, ædes muret, & sæpè sub dio, & in montibus, ut Christo contigit, pernoctet; ut propterea dixerit, vulpes foveas habere, se verò non habere ubi caput reclinet.

C. 14.

Math. 5.

Ac licet qui hoc modo pauperem, vagam, & nullo loco consistentem vitam eligat, multa perferre cogatur, crescit tamen Christi erga seipsum austeritas ex electione crucis, de qua dicitur: *Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta.* quasi diceret: Cum potuisset vitam eligere jucundam, & continuè gaudiorum serie intertextam, elegit nihilominus crucem, & vitam cruciatus & ærumnis obnoxiam, parvi ducens ignominias, quæ hujusmodi vitam & crucem comitari solent. Qui hoc Christi in sequendam modo odium sunt attentè contemplati; mirum in modum, & ipsi in se exarserunt. Eno Jacopono hic contentus ero; excitat in illo dæmon carnis bubulæ appetitum, hic alicunde precario conquistam in cella appendit, & horâ

4.  
In electione  
crucis.

Hier. 14.

5.  
Quod se  
cit Jaco-  
pono.6.  
Mira me  
ode.

in 7/a.



6. horâ prandij illam intuens, de-  
 osculatur, ac deinde ad triclinium  
 se conferens, more suo pane &  
 aqua se refocillat: computruit in-  
 terea caro suspensa viciniamque  
 fetore cõplevit. Quod superior  
 ubi deprehendit, tanquam rem  
 communitati noxiam gravi poenâ  
 multat, & Jacoponum in feten-  
 tissimum locum conjicit; ubi cum  
 gaudio delibutus ex ingenti pa-  
 tiendi pro Christo desiderio can-  
 neret; à Christo invisitur, atque  
 his verbis suavissimis compella-  
 tur: Jacopone charissime, quan-  
 doquidem mei amore hac injuriâ  
 non moveris, nec hanc graveo-  
 lentiam horres, ut te soler ac-  
 cessi: pete quod vis, & impetra-  
 bis. Domine, ait, hanc à te gra-  
 tiam postulo, ut me in locum isto  
 horribiliorem fetidiorumque  
 detrudas, quia hunc parum gra-  
 vem, & molestum existimo.

Plenæ sunt similitum in Christi  
 sectatoribus exemplorum histo-  
 riarum, quas his verbis egregiè de-  
 scribit Cassiodorus: His proposi-  
 tum est hostes suos nõ reluctan-  
 do vincere, sed patiendo supera-  
 re: triumphus illis omnis est in  
 proprij corporis passione, & tunc  
 adversarios efficaciter vincunt,  
 quando laudabili humilitate suc-  
 cumbunt: cum aliis non habent  
 jurgia; sed semper secum litigant;  
 miserentur omnibus, sibi solis  
 non parcunt, & cælesti charitate

inflammati, bona, quæ sibi eveni-  
 re cupiunt, aliis communicare  
 contendunt: re recâ milites Chri-  
 sti, qui duci suo in omnibus simi-  
 les esse in votis habent. Tales, in-  
 quit Gregorius, Dux noster se-  
 cum ad prædicationis prælium  
 duxit, qui despectâ salute corpo-  
 rum hostes suos moriendo pro-  
 sternerent, eorumque gladios non  
 armis, sed patientia superareant.

De cæteris virtutibus, quæ  
 nos disponunt ad alterum, dux  
 vel tres seligendæ mihi videntur.  
 1. Obedientia, quam cibum suum  
 esse dixit, quod illâ ipse ut homi-  
 nes cibo aleretur, & oblectaretur.  
 2. Humilitate, & mansuetudi-  
 ne, quas velut prima scholæ suæ  
 elementa sectatoribus suis pro-  
 posuit, dum dixit: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.*  
 Obedientiam, quam Christus  
 præstitit Patri non solum ejus o-  
 peribus expressam, sed ejus etiam  
 ore testatam habemus, dum dicit:  
*Quæ placita sunt ei, facio semper:*  
 quam verò exhibuit Josepho, &  
 matri, Lucas docet: *Erat, inquit, subditus illi;* quàm deinde Pilato  
 verba illa Petri indicant: trade-  
 bat, judicant, se injustè, & Chri-  
 stus ipse Pilatum habuisse super  
 se potestatem datam illi desuper  
 agnovit, cui proinde est obsecu-  
 tus.

Descendit Christus de cælo, ut  
 obediret: *Descendi, inquit, decalo,*  
 Cccc 2

7.  
 Obedien-  
 tia.

Mat. 5. 11.

1111

Ion. 6. non ut facerem voluntatem meam, sed eius qui misit me. atque ut servum se docilem, promptum & obedientem ostenderet, dicit Patri: *Sacrificium & oblationem nolui-*

Psal. 39. *sti. aures autem perficisti mihi, vel, ut S. Hieronymus vertit, perfodisti mihi; quia servi apud Hebræos aurium perfossione notabantur. In vitæ suæ decursu, quam læpè dixit; nondum venit hora mea, & tempus meum nondum est paratum, ut ostenderet, etiam momenta sibi designata ad aliquid agendum obediendi studio observare; morti verò propinquus dicit: Non quod ego volo, sed quod tu;*

Hebr. 5. *& inclinato capite tradidit spiritum; ut merito dixerit Apostolus: Et quidem cum esset Filius Dei, didicit ex iis quæ passus est, obedientiam, & consummatus didicit, inquam, & expertus, quantas vires habeat ardua subeunda obedientia, & in ea consummatus & perfectus, nobis eandem perfectionis assequendæ normam reliquit; qui propterea, ut ait S. Bernardus, maluit vitam ponere, quam obedientiam perdere.*

Declam. super, Ecc. nos.

Ad hoc obedientiæ exemplar fingi formariq; debemus, si Deo grati esse cupimus; cum post charitatem primum ei inter virtutes locum det ipse Christus apud S. Brigittam. Charitas, inquit, est quasi arbor, de qua omnes virtutes procedunt; inter

Lib. 6. c. 119.

quas primatum tenet obedientia, pro qua ego ipse subire crucem & mortem non dubitavi, adeoque ad instar fructus suavissimi mihi placet, & ille mihi amicissimus, qui velle suum alienæ voluntati integrè subjicit. Idem nos docet S. Bernardus. Sapiens numularius, inquit, est Christus, cui necesse habemus reddere numum obedientiæ, quem non suscipiet nisi integer sit, & absque falsitate: si discutimus, si dijudicamus, & in hoc quidem, præcepto non obedi-  
Serm. de S. Andrea

dimus, sed in illo, fractus est numus. Idem alibi dicit eos esse in obedientiæ perfectæ forma, qui ne quidem cor proprium habent: ut scilicet aliquid desiderent antea nutum obedientiæ.  
In sermone S. Pauli

Manfuetudinem & humilitatem Christi tot argumentis habemus contestatam & in tam illustri loco positam, ut splendore suo meritò omnes Christi amatores ad imitationem provocet. Ejus descriptionem legimus in Isaia: *Ecce servus meus, suscipiam eum.* Id est, ut Hebræa vox sonat, in ulnas accipiam & fovebo. *Electus meus* in ducem scilicet contra diabolum, *complacuit sibi in illo anima mea; dedi spiritum meum super eum, iudicium gentibus proferet.* I. Justitiam, & verū Dei cultum: *Non clamabit nec audietur vox eius foris: calamum quassatum non confringet.* I. Rem vilem, quæ cœpit frangi  
& Manfuetudine c. 47. & humilitate.

frangi, non comminuet, & *linum fumigans non exstinguet*, licet fumo, oculis & naribus molestiam afferat: id est, imbecilles in fide, spe, & charitate non durè excipiet, nō abjiciet, sed fovebit, sanabit, & accendet. Non erit tristis neque turbulentus, ait idem c. 62. Christi mansuetudo designata nobis fuit per quatuor animalia: *Agnum*, cujus mansuetudo tum maximè paret, cum deberet illam excutere, cum scilicet ad mortem petitur: Unde Jeremiæ ore sic loquitur: *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam. Columbam*, quæ felle caret, nec resistit, sed lapillo aut à miluo impetita, fugâ sibi consulit. ut hunc spiritum mansuetudinis in Christo monstraret, apparuit illa super caput ejus. Messiam illum esse probare vult Matthæus ex illo vaticiniis ante prænunciato; *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam*: super asinam, inquit S. Chrysostomus, non super equum signum belli, & jactantiæ, sed super animal mansuetum tranquillitatis & pacis amicum, & ad aliena onera portanda paratum: hinc & nonnulli ad Christum pertinere illud Vatis Regii arbitrantur: *Ve jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum*. Sic aliquis vir sanctus asinum se inter fratres reputavit, ut hac cogitatione ad mansuetè cæterorum levanda onera animaret.

Vermem denique se esse dixit Christus: *Ego vermis & non homo*: qui proterenti non resistit, sed se recolligit, & contrahit. O quanta in his omnibus ad imitandum seges!

CONSID. XIX.

De interioris hominis ad exemplar Christi conformatione.

Interioris hominis pars superior complectitur intellectum & voluntatem, inferior sensum & appetitum: itaque triplex hic petitur conformatio, in operationibus intellectus, voluntatis, & appetitus inferioris.

Cogitationum Christi sublimitas, atque præstantia repræsentatur nobis à sponsa in Canticis, dum dicit: *Coma ejus quasi elata palmarum, nigra quasi corvus*. Elata palmæ, & præcipuè germen grati coloris semper virens, & palmæ verticem tegens ac ornans nobis optimè cogitationes Christi, quæ ab ejus divinitate velut à capite vim & virtutè accipiebant, erantque proinde prorsus cælestes & divinæ, repræsentant. Tales Christi sectatorem vult habere S. Macarius: Alius, inquit, est Christianorum mundus, conversatio,

I.  
Imitandus  
in interioris  
hominis  
cultu.

Cogitationes  
Christi  
quales.  
Homil. 1.

Cccc 3 mens,

mens, & opera: alij enim concu-  
riuntur volubilibus hujus mundi  
cogitationibus; Christianorum  
verò conversatio in cælis est, pro-  
pter communicationem Spiritus  
sancti: quia de sursum nati sunt.

2. Non cogitabat Christus de re-  
bus ad corpus pertinentibus, qui  
de illis à suis sectatoribus suscipi  
curam vetabat: *Ne solliciti sitis*, in-  
quit, *anima vestra, quid manducetis,*  
*neque corpori vestro, quid induamini.*  
Hinc S. Basilius in regulis brevioribus,  
arguet eum non tantum, qui de comedendo cogitat, sed  
etiam illum, cui memoria cibi fame non stimulante obrepit, arguere hoc animum ad res hujus vitæ plus æquo propensum, & in aliis, quæ Deo grata sunt, negligentem, sed & beatus Nilus Christi sectatorem debere esse ait velut aquilam in sublime volantem, solis aspectu truentem, puriori gaudentem aëre, quæ demum ad terram se demittat, cum urget necessitas.

Ut has Spiritu sancto plenas cogitationes assequamur, orandum ait S. Bernardus, ut cor mundum creetur in nobis: quod utique fiet, si Spiritus divinus fuerit in visceribus nostris in nobis & erga nos sanctus, erga proximos rectus, erga Deum principalis: qualis scilicet fuit in Christo; qui nec de proximo unquam sinistra præter rationem judica-

vit, nec superfluis cogitationibus in seipso locum ullum dedit, sed dignas Deo semper aluit: cujus imitationis flagrans desiderio S. Theresia frequens tres illos versiculos repetebat: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis; ne projicias me à facie tua, & spiritum sanctum tuum ne auferas à me; redde mihi lætitiâ salutariis tui, & spiritu principali confirma me.*

Ad hanc superiorem mentis partem pertinet intentio, quæ à Christo dicitur oculus & lumen; quia etsi actus sit voluntatis; ordinantis tamen & illuminantis intellectus actionem præsupponit; quàm verò in Christo illa excelsa, simplex & constans extiterit, patet ex ipsius verbis, quibus non semel id variis occasionibus est protestatus: nihil aliud ille in actionibus suis spectabat, quàm maximam Dei gloriam: in hac omne studium collocasse se dicit, dum Patrem alloquens: *Ego te clarificavi*, ait, *super terram, opus consummavi, quod dedisti mihi.* Quid porro illud est! nimirum, *Vi cognoscans te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum;* hinc paulò post dicit: *manifestavi nomen tuum hominibus,* hoc est, gloriam tuam, & quidquid in te gloriosum est, potentiam tuam, beneficentiam, & singularem erga homines charitatem: hunc scopum

2. Quales non,

Math. 5.

Interrog. 17.

Orat. 3. ad v. vicia.

Serm. 3. de Spiritu S.

3. Quomodo gignatur bonæ cogitationes.

4. In recta intentione quæ in Christo sublimis.

1. Tim. 2.

6. Ex charitate orta. 2. 2. 9. 4. 6.

1008 B.

pum culumiantibus Judæis habere se ostendit, dum dicit: *Honorifico Patrem meum*: hunc & discipulis dum de Lazari morbo loquens: *Infirmitas*, inquit, *hæc non est ad mortem; sed pro gloria Dei*, quam verò altissimâ intentione id quaesierit, in eo clarè ostendit dum omnibus vitæ bonis se exiit, & acerbissimis malis se induit, ut gloriam istam amplificet. Imitare tu, & hoc unum; Dei scilicet gloriam, in omnibus specta; quid quid habes vitæ, & spiritus, in id impende, & pro illius amplificatione nihil malorum perhorresce, quod in Apostolo Paulo virisque Christum proximè imitantibus expressum vides.

5.  
Ex accurata.

Non erat tantum sublimis in Christo intentio, sed accurata, & ad minima quæque descendens, ut nullus ictus oculi, nulla respiratio, nullus corporis motus ab illa non sanctificaretur. Hæc à S. Gertrude exegit aliquando Christus Dominus, adeoque gratam habuit, ut præter suam in Eucharistia præsentiam nullibi libentius, quam in Gertrudis corde sedem figere se Mechthildi affirmaret.

6.  
Ex charitate orta.  
D. 1. 9. 23.  
8. 6.

Præterea hanc intentionem charitatis filiam esse oportet, quæ in eo fidei & spei longè præstat, ut notat, Thomas, quod illæ boni aliquid à Deo consecantur: charitas verò ita Deum attingit,

ut in eo sistat, non ut ex eo aliquid nobis proveniat. Ac propterea illi convenit, quod Ambrosius de vera pronuntiavit amicitia, non esse vectigalem, & Nazianzenus *ὁ δὸν ἰεωμενος*, viam, qua divini efficimur, quia opera etiam minima nõ ad instar virgæ Midæ, aurea simpliciter, sed divina prorsus efficit.

L. 3. de  
Off. c. 2.

Hinc S. Bernardus duo illam habere dicit, charitatem in intentione, veritatem in electione; quia eligit, quod Deo placet, & ex solo Deo placendi desiderio id agit: ut meritò dicat Ambrosius; Intentionem pretium rebus imponere. Voluit Christus ab Israëlitis primogenita sibi offerri: cor est primogenitum, primaque ejus operatio est intentio finis, ad hanc vigila, si, ut monet Chrysostomus, ad rectam amussim. omnes tuas actiones exemplo Christi velis dirigere, ne si hoc negligas, magna vitæ tuæ portio tibi pereat.

L. de pra.  
cepto.

In Ps. 71.

7.  
In memo-  
ria usu.

Pertinet ad hanc partem memoria, semper in Christo plena Deo: quam imitaberis, si cum Davide dixeris: *Providebam Dominum in conspectu meo semper*, & dici de te possit quod de Moyse S. Paulus, *Invisibilem tanquam videns* sustinuit, quia Dei invisibilis præsentia animatus ad adversa quæque fortiter subeunda animum obduravit.

Psal. 15.

Hebr. 11.

Per Dei  
præsentia.  
rum

Quod Christiano homini mi-

rum in modum in votis esse debet. Barlaam tam presentem Deum habere se professus est, ut si mentem à Dei presentis intuitu vellet avellere, non sine violentia id ab illa impetrare posset, & nostris temporibus fuisse legimus, qui spatio plurium annorum exiguo spatio septies dumtaxat Dei presentis memoriam amiserint, camque continuò recuperarint. Hoc videtur pro Apostolis Patrem deprecatus Christus in ultima cena, imò & pro nobis omnibus, dum dixit: *Non pro eis tantum rogo, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me: ut omnes unum sint, sicut & tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint.* Impetravit hoc à Christo S. Lutgardis, cui cum ille tertio dixisset: *Pete quod vis, & dabitur tibi.* Tum illa: *Da mihi,* inquit, *cor tuum.* Ad quod Christus respondit: *Imò potius da mihi tuum.* institit nihilominus illa, & dixit: *Imò da mihi cor tuum attemperatum cordi meo.* quod & factum. Dicamus & nos Patri: Posside memoriam meam, & reple illam presentia tua. Dicamus Filio: Posside intellectum, & eleva illum sanctis cogitationibus. Dicamus Spiritui sancto: Posside voluntatem meam, & illam inflamma sanctis affectionibus: ut hoc modo aliquam cum Christo similitudinem assequamur.

3.  
In sensu

Jam de parte inferiori, sensu

scilicet interno, & appetitu & interno & utriusque in Christo operationibus aliquid dicamus, ut ubi plurimum turbarum in nobis plerumque existit, ad ejus exemplar, ejus adjuvante gratia, componatur. S. Augustinus de humanis in Christo affectionibus agens: Ipse Dominus, inquit, in forma servi agere vitam dignatus humanam, adhibuit eas, ubi adhibendas esse judicavit: neque enim in quo verum erat hominis corpus, & verus hominis animus, falsus erat humanus affectus: verum ille hos motus, ita cum voluit, suscipit humano animo, ut cum voluit, factus est homo. Habemus nos eas ex humana conditionis infirmitate, non autem ita Dominus Jesus, cujus & infirmitas fuit in potestate: quomodo verò Christum in istis aliquomodo imitari possimus, tum exemplo S. Pauli, tum aliis Scripturae sacrae exemplis ostendit.

Quatuor illas, quas Virgilius expressit, dum dixit: *Hinc metuant, cupiuntque, dolent, gaudentque.* Nobiles Christi primis temporibus; & nostris sectatores ad Christianae perfectionis formam regere sunt conati, adeò ut mater à septenni puero hoc ipsum exigere ausa fuerit: cum enim ille quòd contra Deos blasphemasset, Romae ab Asclepiade Praefecto, tortoribus virgis caedendus praesente matre

appetit.

L. 14. de  
Civitate  
Dei l. 9.

lib. c.

1.  
Civitas  
civitas  
civitas  
offeren  
petita.

matre traditus esset, & inter verbera cunctis ad cruciatum flentibus, ille exhaustus, se sitire diceret: Mater eum increpans dixit; Christianum cedere non debere, a quam vitæ in Christo sufficere, fontem illum perennem esse proximum, calicem infantium Bethleemiticorum esse exhauriendum: nolebant illi metuere nisi peccatum, nec extra Deum ejusque voluntatem quidpiam concupiscere: de Deo offenso dumtaxat dolere; & in illo ac de illo gaudio affici. Amorem tuum reformando perfectam Christi imitatorum assequeris, si Augustino credis: Amor enim, ait, inhians habere quod amatur, cupiditas est; id autem habens, eo que fruens, lætitia; fugiens quod ei adversatur, timor est; id que si acciderit sentiens, tristitia est: proinde mala sunt ista, si malus est amor, bona si bonus. Ita ille.

CONSID. XX.

*De Sacrificio cruento Christi in cruce morientis, & quid illud à nobis exigat.*

**Q**uis offert illud Sacrificium? Christus Deus homo, Sacerdos, & victima; ex quo pater magnitudo hujus sacrificii, cum offerente & re oblata nihil majus

ne à Deo quidem excogitari possit: si omnes Angeli corpus passibile assumpsissent, & pro me redimendo in crucem acti essent; imò si omnes Sancti, quorum eximia virtus omnes in admirationem rapit, idem crucis, mortisque supplicium pro me subiissent; tantum dignitate à Christi sacrificio differrent, quantum vermiculi mors ad omnium Angelorum, & Sanctorum mortem comparata. Nulla enim finiti ad infinitum est vel esse potest portio.

Quomodo illud Sacrificium offertur? Admirabili charitate, summos inter cruciatus, & gratis: vide illum amoris alis volentem ad hoc sacrificium peragendum. Erant, inquit Marcus, in via ascendentes Ierosolymam, & precedebat illos JESVS, & stupebant, & sequentes timebant; nimirum desiderij pennis ad passionem rapiebatur: dilatio ipsa cruenti istius Sacrificij, ut fit in rebus ardentibus, animum angebat. Baptismo, inquit, habeo baptizari, & quomodo coarctor (S. Ambrosius legit angor) usquedum perficiatur. Videmus aliquem febre ardentem, haustum frigidæ instanter expetere, differre tamen, usquedum hora, quâ possit bibere, à medico præscripta sonuerit, interim exclamare: O quam sitio! quam intus ardeo! Ita Christus. Hinc Petro passionem

2.  
Ex modo offerentia.

Dddd nem

Matth. 16. nem impedire volenti, & dicenti:  
*Abi à se Domine, non erit tibi hoc:*  
 dixit vulgo severo: *Vade post me Sa-*  
*sana,* scandalum es mihi; non  
 enim sapi quæ Dei sunt. Vocat  
 illum Satanam, hoc est, adver-  
 sarium; vocat scandalum, hoc est,  
 offendiculum & obicem, quod  
 rem sibi desideratissimam impe-  
 dire, & amoliri vellet; dicit non  
 sapere quæ Dei sunt, sed quæ ho-  
 minum; qui cruce à se & ab  
 amicis avertere, officiosi hominis  
 esse arbitrantur: cum è contrà  
 vellet Christus omnes suos in  
 eundem secum crucis amorem  
 concurrere. Hinc S. Ambrosius  
 verba illa Christi, *Tristis est anima*  
*mea usque ad mortem.* ita explicat,  
 quasi Christus diceret: Anima  
 mea donec mors veniat, tristitia  
 consumitur, quia ita illam deside-  
 ro, ut ex ejus absentia tristitiam  
 ingentem sentiam: & hoc sensu  
 quidam dictum ab illo Judæ exi-  
 stimant, *Quod facis, fac citius;* quasi  
 febriæstuans, haustum aquæ pe-  
 teret, quo refocillaretur. Sacrifi-  
 cabat se quotidie Christus co-  
 ram Patre suo in ara cordis, se ad  
 mortem pro humano genere of-  
 ferens; sed interea ad holocaustum  
 in cruce totis votis anhelabat;  
 quod illud sciret Patri gratissimū,  
 & ad hominum redemptionem  
 à Patre constitutum: quod prævi-  
 disse videtur Vates Regius, dum  
 dicit: *Memor sit omnis sacrificij tui,*

& holocaustum tuum pingue fiat.  
 quasi diceret: Accepit Pater  
 tuus, Deus tuus omnia sacrificia  
 tua, quæ toto vitæ decursu, tum  
 intus, tum extra multa eaq; acer-  
 ba tolerando ipsi obtulisti; sed  
 holocaustum mortis tuæ in cruce  
 illi cæteris gratius sit, sicut quod  
 animal perfectius & pinguius im-  
 molatur, eò sacrificium est illi  
 gratius: unde Danielem orantem  
 audimus: Sicut in millibus agno-  
 rum pingium, sic fiat sacrificium  
 nostrum in conspectu tuo, ut  
 placeat tibi: hæc significant illa  
 holocausta medullata, hoc est,  
 plena medullâ charitatis, quæ  
 Propheta oblatorum se dixit, sed  
 quæ Christus perfectè adimple-  
 vit.

4. Quantos verò inter cruciatus  
 hoc sacrificium obtulerit Chri-  
 stus, vel ex illis ejus verbis, *Hæc*  
*est hora vestra & potestas tenebra-*  
*rum,* intelligi potest, cum tum ini-  
 mico odijs omnibus exacerbato  
 potestas in eum, quem odit, se-  
 viendi traditur, satis patet, quid à  
 tali odio in omnem ultionis exer-  
 cendæ rabiem effuso expectari  
 debeat: præter alios hominibus  
 ignotos cruciatus, qui inde in ani-  
 mum ejus redundarunt; unde ex-  
 clamat: Veni in altitudinem ma-  
 ris, & tempestas demersit, ut ne  
 angelica quidem intelligendi vis  
 eò penetrare possit, idque Deo  
 soli videatur esse reservatum. Sed

L. 7. in  
 Lucam.

3.  
 Ex quoti-  
 diana  
 oblatio-  
 ne.

Psal. 119.

5.  
 Ex gratia  
 oblatio-  
 nis.

L. de vi-  
 tæ.

4.

Ex cir-  
 cumstas-  
 stantia  
 cruciatus.

6.  
 Ex si-  
 quentibus  
 bernardus  
 ligere.

Sed



5.  
Ex gratui-  
ta obla-  
tione.

1. de vi-  
tibus.

4.  
Ex ci-  
uitatibus  
viciis  
viciis.

6.  
Ex fructu  
quem de-  
betis co-  
ligere.

Epist. 22.  
p. 38.

Sed quod mirum in modum Sacrificij huius præstantiam augeat, & extollit, est, quod id gratis offerat, solius Dei honore & gloria, & animarum, à quibus honor ille incrementum accipiat, salute contentus. Nemo plus tribuit, quàm qui sibi nihil relinquit, ait Ambrosius: sed amplius aliquid mihi largiri videtur, qui seipsum donat, nec suum emolumentum spectat, sed alienum commodum; hoc ipso solo contentus, quòd benefecerit.

Videamus nunc quid tanti Sacrificij beneficium, à nobis, quibus maximè profuit, exigere videatur: haud dubium quin ingentem animi ardorem & generositatem ad acerbissima quæque ad imitationem pro honore Patris æterni subeunda; quod egregiè ab iis præstitum, qui hoc grati animi vinculum propius inspexerunt. Aspice inter cæteros, quos ignes in Theodoro Martyre, de quo Gregorius Nyssenus: qui dum fides in Christum, ejusque exemplum ante oculos obversatur, extantque ex altera parte carnifices, & tormèta, exclamat: Qui vulnerat, corpus incidat; qui verberat, laceret; & qui cremat, flammam adjiciat, & qui his verbis offenditur, linguam excindat.

Intuere inter cõfessores S. Ambrosium, qui contra Arrianos pro Christo depugnans, illos ul-

trò ita compellat: Si patrimoniu affectatis, invadite; si corpus, accurrite: vultis in vincula ducere? vultis ad necem? ludus est.

Vadin-  
gus ad an-  
num Chri-  
sti 1298.

Rogatus aliquando Jacoponus, quid Jesu Christi amore ferre paratus esset; respondit: Ex animi mei sententia desidero, ob Christi amorem, summam mentis tranquillitate sustinere in hac vita omnes labores, ærumnas, angores, molestias & dolores quæ verbis exprimi, aut animo concipi possunt: nec id satis; velim etiam simul ac ex vita hac migravero, cædæmones ad inferos animam meam rapiant, ut ibi pro omnibus igne purgante detentis justitiæ divinæ faciam satis; præterea gratissimum mihi erit, si omnes, quorum causa, ista sustinero, priusquæ quàm in cælum veniam, æterna felicitate donati, illuc tandem me clementer admissio universi in unum congregati objectarent, pro tormentis omnibus eorum causa toleratis, se mihi prorsus nihil debere: Ex animo enim cupio pro omnibus nullo meo emolumento horrenda quæque perpeti, unico æmulandi Christi studio, qui nullam spe præmij tanta pro nobis pertulit, ut nos exemplo suo doceret sine reuocacionis spe aliis esse benefaciendum. Ita ille generosus Christi imitator, & pro gloria Dei fortis athleta.

D d d d 2 Quod

L. I. Conf.  
c. 15.

Psal. 49.

In appar.  
Dom.

Quòd si tam altos animos induere non potes, quotidianos saltem labores & ærumnas Deo in sacrificium offer, & dic cum S. Augustino: Tibi seruiat, quidquid utile puer didici; tibi seruiat, quod loquor, & scribo, & lego, & numero. & postea Dei oculos testes appellans; Vides, inquit, in corde meo, quia sic est, ut sacrificem tibi famulatum cogitationis & linguæ meæ. Adde ad ista sacrificium laudis, quo honorari se dicit Deus, in ara cordis tui eum amando, admirando, & deprædicando thus laudis accende: ignis holocausti semper ardeat in corde tuo, qui opera, & quæ accidunt aduersa, in sacrificij materiã convertat: neque enim, ut ait S. Leo, tua largitas de muneris pensatur pondere, sed de benevolentiz quantitate; nec discrepat fructus operum, ubi est par affectus operantium.

### CONSID. XXI.

De Christo Victore, & Triumphatore per Resurrectionem, & Ascensionem suam in cælum.

I.  
Christo  
resurgenti

Primum quod Christo resurgenti, & in cælum ascendenti debemus, est de eius victoria,

triumpho que quantum animo <sup>devenit</sup> capere possumus gaudium: hoc <sup>gaudium</sup> enim ipse Apostolis dixit: *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia ad Patrem vado.* Amantis enim est de bonis amici æquè gaudere ac de suis; imò interdum magis, præsertim in Christo, quem majori quàm nos ipsos amore prosequi oportet. Ad hoc gaudium occasione Resurrectionis & Ascensionis nos invitat Vates Regius, dum Christi Resurrectionem, & Ascensionem, per quam arca humanitatis ejus elevanda erat, prævidens usurpâsque verba à Moyse dici solita, dum arca ad iter prosequendum in deserto in humeros à Levitis tolleretur, dicit: *Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus, & fugiant qui oderunt eum à facie ejus.* quod quam facile feliciterque à Christo conficiendum erat, ostendere volens, addit; sicut deficit fumus, deficiat, & sicut fluit cera à facie ignis; nam & à vento facillimè fumus dispergitur, & cera ab igne consumitur; quantum verò gaudium inde nos concipere oporteat subjungit, *& justi epulentur, & exultent in conspectu Dei, & delecentur in lætitiâ;* hoc est, omnibus gaudis, ut spiritualibus epulis non tantum reficiantur, sed exultent, & delectatione lætitiæque circumfluant, imò externo cantu id ostendant; pergit enim nos omnes ad id

id excitare, dicens : *Cantate Deo Psalmum, dicite nomine eius, iter facite ei, qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi.* quasi diceret: Illi qui jam super occasum, super omnem corruptionem victor ascendit, epinicia canite, & omnia ad id conducentia parate: qui est jure naturæ Dominus, & hostibus jam prostratis liberum quodammodo dominatū est assecutus. Nec hac excitatione contētus, ne fortassis aliquis ab hostibus nobis timor remaneat; *Exultate*, inquit, *in conspectu ejus*, nec velut orphani, aut destitutæ viduæ timeatis: ille enim Dominus hostium victor & triumphator, Pater est orphanorum, & vindex viduarum, cujus conspectu turbati illi diffugient: ut meritò illius, & nostra causâ lætandum sit.

2<sup>a</sup> Si Pater prodigi ob receptum filium non victorem, sed à dæmonibus victum, & quot flagitiis, tot vulneribus coopertum dixit alteri filio: Epulari & gaudere oportebat, quia alter ille, qui perierat, ad vitam, quodammodo novam revocatus erat; vitam, inquam, caducam & mortalem, & miserrimis casibus, hostiumque periculis expositam: quid nobis in hoc Christi resurgentis & ascendentis triumpho faciendum? Ecclesia Matrem Christi, quam jam ob Christi victorias Reginam appellat, ad omnem lætitiā in-

vitat. Regina cæli, inquit, lætare alleluia. Currus Dei, inquit idem Vates, decem millibus multiplex, millia lætantium: quidni nos simul inter illa lætantium millia triumphantis Christi currum lætantes comitemur? Noluit aliquando temporibus Tertulliani miles Christianus ad Imperatorum donativum accipiendum coronatus lauro, ut cæteri milites, accedere, sed coronam manu gestans ante Tribunal comparuit, rogatusque cur id contra cæterorum morem faceret; respondit: Christianus sum; jussusque continuo in carcerem duci; cumque ob illud factum ab aliis commilitonibus, inter quos plures erant Christiani, carperetur, occasionem dedit Tertulliano Romæ tum agenti de corona militis librum scribere, ubi fuse ostendit, non licere Christianum in hac vita coronatum incedere: nisi fortè coronâ Christi ex spinis confertâ. Licet tamen nobis de corona gloriæ, qua Christus, morte devictâ, & dæmone debellato, in resurrectione redimitus est, quamque deinde cælis intulit, insigniter gaudere, ad quod gaudium per tot congeminata Alleluia ab Ecclesia Matre nostra provocamur.

2. Alterum quod à nobis exigere videtur Christi resurgentis, & cælos ascendentis triumphus, 3. Gratulationem.

D d d d 3 est

est congratulatio; jam enim illa perditam oviculam unice dilectam, luporum dentibus ereptam, humerisque suis impositam, omnem nempe justorum turbam è limbi miserijs liberam suorum meritorum humeris ac virtute subnixam cælis invehit, & meritò nos omnes, Angelosque sibi felicitate viciniore invitât, ut olim in parabola: Congratulamini mihi de mortis meæ fructu tam desiderato, qua & corpus meum ad instar agni tormentorum & mortis acerbissimæ lanienâ laceratum divinitatis meæ potentiâ velut humeris gloriosum resumo & cælestibus delicijs totâ æternitate fruiturum ad sublime palatium reveho, unaque amantissimas justorum animas velut gregem selectum in æterna pascua mecum reduco.

4.  
Majorem  
quam a-  
mici To-  
biæ testa-  
ti sunt.

Venerunt ad Tobiam Achor & Nabath ejus consobrini, cum oculorum lumen filiumque cum conjugè ingentesque cum illa divitijs recepisset, congratulatum de omnibus bonis, quæ circa illum ostenderat Deus. Venerunt & ad domum Zachariæ vicini & cognati post editum in lucem Joannem Baptistam, ut de tanto beneficio sterili huc usque matri congratularentur; sed & Franciscus Xaverius, ubi nostrorum operâ amplificatum Dei honorem hominumque ad meliora conversio-

nes audiebat; solebat dicere; esse quod inde Christo Domino gratularemur. At longè potiore gratulandi materiam in ejus Resurrectionis, Ascensionisque triumphis habemus.

Imperatoribus triumphantibus applaudebant nò tantùm amici & propinqui, & milites; sed quicumque ex urbe aliisque Italie locis ad spectandum confluebât, non tantùm voce, sed etiam eleganti habitu & plerumque albâ veste induti diemque istum lætissima festivitate celebrabant: & quid quæso ista triumphantium Imperatorum pompa unquam habuit, si cum Christi solemnitatibus conferatur? præsertim cum Christi lætitia æterna sit; & novis semper accessionibus gloriosior lætiorque futura, cum plures & plures triumphato dæmone cælis inferentur beatorum numerum aucturi? At verò in illis alijs Imperatorum triumphis erat à tergo qui diceret: *Respice post te, hominem te esse memento*: erat & appensum currai tintinnabulum, & flagellum, quibus significabatur, eum in tantam calamitatem incidere posse, ut flagris cæderetur, & capite damnaretur; hi enim cum ad necem ducerentur, tintinnabula gestare solebât, ne quis inter eundem, contactu piaculo se obstringeret.

Tertium quod Resurrectio & Ascensio

6. *Vitz no. vitatem. Rom. 6.* Ascensio Christi à nobis expostulat, & vitæ novitas, & cælestis conversatio: quomodo Christus, inquit Apostolus, surrexit à mortuis in gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus: & sequenti capite vult ut serviamus in novitate spiritus; ut nimirum abdicata malè agendi consuetudine, nonos ad virtutem animos sumamus; nescit enim, ait S. Gregorius, veterascere, qui semper per desiderium studet inchoare: quid tibi cum operibus mortuis, quæ ab Adamo, per peccatum moriente, propagata in te propaginem suam multiplicant, qui novam vitam, veteri illa profligata, cum Christo resurgente instituisse debueras? *Si consurrexisti cum Christo*, inquit idem Apostolus, *qua sursum sunt quaerite, qua sursum sunt sapite, non qua super terram.* Audi Augustinum quomodo id facturus sis. In rebus corporeis, inquit, aliud sunt pedes, aliud scalæ, aliud pennæ; intus autem & pedes, & scalæ, & pennæ affectus sunt, & bonæ voluntates; peccata omnia aut facit malè ardens cupiditas, aut malè jacens timiditas: transiliat unusquisque omnia ista, erigat scalas suas, exerat pennas suas, transiliat omnia quibus teneri potest in terra, vilem habeat mundum, & omnia quæ delectant in mundo. Uno verbo alibi dicit: *Amando Deum*

ascendis, amando sæculum cadis; ascendit ad cælestem Hierusalem omnis qui proficit; cadit ab hac omnis qui deficit: unde fit, quod ait alibi: *Iter tuum voluntas tua est; amando ascendis, negligendo descendis: & quanto plus amaveris, tanto plus ascenderis.* Nec putes ad ascendendum opem tibi defuturam: ipse Christus faciet tibi gradus, quibus ascendas, ipse disponet ascensus in corde tuo; propierea enim & resurrexit & ascendit, ut nisi obstiteres, te ad novam vitam cælestemque conversationem eveheret, ut dicere posses cum Apostolo: *Nostra conversatio in caelis est:* ascensio enim ejus prævenit nostram, teste S. Bernardo, postea secuturam. O quantam apud Christum gratiam iniremus, si unusquisque hunc ex ejus Resurrectione & Ascensione fructum decerperet! Alphonsus Rex, non tam quod hostes vincere & sciret, & posset, gloriabatur, quam quod victis consulere didicisset: longè amplius Christus, qui hoc unum habet in votis, ut ad nos amplissimus ex victoriis fructus derivetur: quod tum fiet, si cum resurgente ad novam vitam resurgamus, & cum ascendente ad cælos ascendamus: ibi enim sit mens, ait S. Augustinus, & hic erit requies, & nihil cruris sentit in nervo, ubi animus in cælo est, ait Tertullianus. CON-

*Psalm. 126.  
Psalm. 85.*

*Psalm. 38.*

## CONSID. XXII.

## De Spiritu sancto, ejus necessitate &amp; operatione.

I.  
Quanta  
nobis ne-  
cessitas  
Spiritus  
sancti.

I. Cor. 12.

l. 2. moral.  
c. 42.

C. de civit.  
Dei 15, c. 6.

De adorand.  
do Spiritu.

Orat. de  
Spiritu S.

1. **N**ecessitatem ostendunt verba illa Pauli: *Nemo potest dicere, Dominus Iesu, nisi in Spiritu sancto.* Confirmat hoc S. Gregorius, qui ad vitæ æternæ meritum nihil à corde nostro prodire posse asseverat, nisi Spiritus sanctus, qui electorum cordi ad bene vivendum præfidet, illud operetur. Sed & S. Augustinus quidquid cælum & terrena ad sanandum regendumque hominem congerant, nihil profuturum proclamat; nisi Spiritus sanctus operetur intrinsecus, & interiore gratiâ mentem regat & agat. Adfert ad hoc egregiam cõparationem S. Chrysostomus: Da mihi, inquit, navim paratam, gubernatorem, nautas, funes, anchoras, omnia disposita, & nusquam esse Spiritum venti; nõne tardat omnis quantumcumque est apparatus? ita si desit Spiritus sanctus, otiosa sunt omnia.

Sed & Basilius hanc Spiritus sancti necessitatem aliâ similitudine amplificat. Quemadmodum si nocte lucernam tollis è domo, superest, ut nihil videant oculi, nihil operentur vires, nec agnos-

catur rerum dignitas; sed per ignorantiam aurum æquè conculceretur, ac si ferrum esset; ita in intelligibili gubernatione impossibile est illâ infirmitatem manere vitam absque Spiritu sancto. Sed cui non cæcutit rationis oculus, satis advertit, sicut membra corporis absque spiritu vitæ illa vivificante moveri non possunt; ita nec interiorem hominem posse vel unicâ mentis aspiratione ferri ad cælestia, nisi Spiritus internus vitæ spiritualis calorem subministrat: rectè enim S. Gregorius habitare in corpore animam, inquit, probant virales sensus corporis; habitare in anima spiritum, probat vita spiritualis.

Jam videamus quàm magna operetur in nobis ille Spiritus: Primò, si eundem S. Gregorium audimus, in igne & columba nobis monstratus est, quia omnes quos implet, & columbæ simplicitate mansuetos, & igne zeli ardentibus exhibet. Fons vivus dicitur, quia sordes abluat, hortum animæ rigat, & concupiscentiæ calorem refrigerat. Unctio dicitur, quia donis suis loculenta; quæ à lapsu Adami inflata nobis sunt vulnera, suis donis curati stultitia laboramus in iudicando, hebetudine in cognoscendo, præcipitatione in diligendo, pusillanimitate in pervincendis difficultatibus, nescio qua insensibi-

litate

litate in Dei cultu, superbia & tumore in occasionibus: Unctione sua Spiritus sanctus stultitiae vulnus dono sapientiae temperat, hebetudinis & ignorantiae dono scientiae & intellectus, praecipitationi medetur dono consilij, pusillanimitati dono fortitudinis; durum cor dono pietatis emollit, superbiam timoris sancti oppositu elidit: ad hunc modum qui Spiritus sancti gratiam assequuntur, fiunt per timorem Dei humiles, per pietatis studium misericordes, per scientiam discreti, per mentis fortitudinem liberi, per consilium cauti, per intellectum providi, per sapientiam maturi. O quam merito Ecclesia sapissime multiplicat: Veni, veni; ut videlicet tam insignes fructus in filiorum suorum cordibus producat.

*Tract de Spiritu S.* S. Cyprianus tria à Spiritu sancto promanantia distinguit; Suspirationem, Inspirationem, Aspirationem. Suspiratio est, qua ad illum velut absentem desideris suspiramus. Inspiratio est, qua iam Spiritus sanctus, per motionem internam se animo nostro praesente insitit. Aspiratio vero est, qua ipse per desideria caelestia mentem nostram ad superna elevat; atque haec tria à Spiritu sancto causam habere & effectum, & materiam & proventum promuntiat.

Denique S. Bernardus vult, ut *Serm. 32. in Cant.* minimam boni cogitationem ab illo promanare agnoscamus. Cum bona, inquit, in tuo animo voluissentis, non tuam putes esse cogitationem, sed illum agnosce loquentem, qui apud Prophetam dicit: *Ego qui loquor justitiam.* Bonum quod cogitatur, Dei vocem, non cordis prolem existere existima, & non tantum periculosè, sed damnabiliter errari, dum quod Dei est in nobis, damus nobis, putantes Verbi visitationem nostram esse cogitationem.

Vide & alium Spiritus sancti effectum, à venti navim in altum promoventis similitudine adumbratum. Ut enim dum ventus à portu paulatim navigium in altum promoveret, paulatim etiam terraeque urbesque recedunt, & tandem ex oculis disparent; ita dum Spiritus sanctus humanam mentis implet vela, & ad caelestia evehit, rerum caducarum cogitationes & affectus evanescent.

Restat ut quid ex parte nostra ad Spiritum sanctum impetrandum conservandumque adferre nos oporteat, eum ipsius Sancti gratia discutiamus. Infigenda est animo magna tam praestantis doni aestimatio, ut quod de Sapientia dicitur, hoc de Spiritu sancto dictum existimemus, tribusque honorum generibus quae apud mortales in pretio sunt, illum

Eccelum

3.  
Quid nobis agendum ad illius receptionem.

1. Estimandum donum. Sap. 7.

lum longè anteponamus. 1. Honoribus, Ita unusquisque noli tūm apud se sincerè dicat: præposui illum regnis & sedibus. 2. Opibus. Divitias nihil esse duxi in comparatione illius. 3. Bonis corporis. Super salutem & speciem dilexi illum.

4.  
Purgan-  
dus ani-  
mus.  
Serm. 5. de  
Ascensu.

2. Purgandus est animus à carnis rerumque caducarum amoribus: rectè enim S. Bernardus ponderans illa Christi verba, *Nisi ego abiero, parasitus non veniet ad vos* ait: Si hæc ita sunt, imò quia ita sunt, audeat aliquis de cætero, qui carnem fovet, qui in carne seminat, carnem sapit, illam sperare gratiam spiritus vehemētis, quam, ut Veritas ipsa testatur, nec cum ipsa Verbi carne percipere Apostoli ullatenus potuerunt? Errat omnino si quis cælestem illam dulcedinem huic ceneri, divinum illud balsamum huic veneno, charismata illa Spiritus misceri huiusmodi posse illecebris arbitratur.

Dum Eliazus duplici spiritu Eliæ donari peroptavit, noluit harere in Jericho, etsi id Elias videretur dissimulanter permittere: Jericho verò lunam sive inconstantiam & mutationem significat. Noluit etiam remanere in Galgalis, quod Vallem veterem sonat, imò neque in Bethel, quod domum Dei designat. Ita tu si abundanti Spiritus sancti gratiâ locupletari desideras, instabilitatem

animi in boni prosecutione devita, veterem hominem, maloque ejus habitus odio habe, imò nec cælestibus consolationibus nimis adhaere scæ: Christum sequere, ejusque vestigiis, à quo Spiritus sanctus mittitur, constanter insiste.

3. Amplificandus est sinus mentis ingentibus desideriis, atque hac in re imitandi Apostoli in oratione, votisque congeminandis, constantes, & assidui. Audi Bernardum: Oportet ut sancti desiderij ardor præveniat faciem ejus ad omnem animam, ad quam ipse venturus est, & sic præparet locum Domino. Sanctus verò Augustinus, Sicut, inquit, cum nosti quàm magnum est, quod accepturus es, & vides quia angustus est sinus, aut saccus, ut illud capiat, extendendo facis capaciorem; sic ait desiderio extendi dilatarique oportere sinum animæ. Imò verò ab ipsomet Spiritu sancto spiritum hominis ampliari, & angustias suas deferere, egregiè alibi describit. Contemne, inquit, spiritum tuum, accipe spiritum Dei: nec timeat spiritus tuus, ne cum cœperit in te habitare spiritus Dei, angustias patiaris in corpore tuo; non ille excludet spiritum tuum; noli timere. Si divitem aliquem hospitio excipias, pateris angustias, ubi maneat tu non invenis, ubi lectus illi paratur,

5.  
Conci-  
pienda  
desideria.  
Serm. 3.  
in Cant.

Tract. 5. in  
Ep. 5. 140.

Serm. 5. de  
verbu. dt.

6.  
Confer-  
untia e  
gracia.



paretur, ubi conjux, ubi filij, ubi familia. Quid ago? inquis, quod co? quod migrabo? Suscipe divitem spiritum Dei, dilataberis, non angustaberis: dices hospiti tuo: Dilatasti gressus meos subtus me; quando hic non eras, angustias patiebar; implesti cellam meam, non me exclusisti, sed angustiam meam.

6.  
Confer-  
vna. La. ejus  
gratia.

4. Conservandus est Spiritus sanctus & omnino in corde nostro retinendus. Quomodo id fiet? Si nimirum ab illo te regi linas, ei que voluntatis tue fræna committas; si dicas cum Sponsa in Canticis: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Quasi diceret: Ille Spiritus sanctus, qui totus amor est, totus charitas, venit ad me, & intendit mihi, ut bene mihi sit ab ejus gratiâ, & præsentia; ego vicissim intendo, ut in omnibus illi morem geram; ille salutem meam, ego ejus voluntati: ille mihi, & non alteri (immundo scilicet) quia una sum columba ejus, ego illi & non alteri; nec enim audire volo vocem alienorum. Vocatur à Regio Propheta spiritus rectus; obliquas igitur intentiones, & curvos in terram affectus fuge, si illi placere exoptas. Vocatur Sanctus; noli igitur locum contaminare, in quo sedem figit, quod est cor tuum: columba est, quæ tætere fugatur. Vocatur Spiritus principalis, dominari vult, & alium

præponi sibi non patitur. Regit, inquit S. Cyprianus, componit, consummat, & perficit quas inhabitat mentes, & corda quæ possidet, nec errare patitur, nec corrumpi, nec vinci, quos possederit, quos gladio potentissimæ virtutis accinxerit. Vides hoc in sancta Theodosia octodecim annorum virgine, quæ cum visitaret Martyres in carcere, & pro se eorum preces rogaret, illis orantibus audita est vox de cælo: Ego illam oleo athletæ unngo, & spiritu meo confirmo, ad cruciamenta omnia vincenda. Capta ab Urbano Præsidente, dum cruciatur: Exurge, inquit, Urbane, nullo de parato mihi prandio, ferculo me fraudes; excruciatâ, in mare projecta, leonibus objecta, tandem decollata, & tum visa columba auri splendore pulchrior cælum conscendere, scilicet tota S. Spiritus fuerat habitaculum.

CONSID. XXIII.

*De Deo Vno & Trino amoris objecto & exemplari.*

Christi Victoris & Triumphatoris consideratio ad corda nostra sursum amoris pennis elevanda; Spiritus sancti deinde, qui Amor est, & per quem charitas in corda hominum diffusa est.

Eccc 1 cor-

contemplatio, ad eadem in nobis amoris incendia instauranda valere plurimum. Nunc ad ipsum totius amoris fontem Deum Unū & Trinum, fido simul & amandi desiderio faciem præferentibus propius accedamus.

I. Itaque servandum quod Gregorius Nazianzenus nos monet: Ego, inquit, in his quæ omnem elocutionem humanam superant, nihil curiosè scrutator, ne mihi accidat, quod visui, dum in radios solares dirigitur: quanto enim quis plus & diligentius videre voluerit, tanto magis sensu læditur: & dum illum intimè cernere & perfectè cognoscere desiderat, etiam illo, quod percipere poterat, ob sensum nimiam luce hebetatum, privatur. Ab hac curiosa scrutatione nos alià comparatione deterret Spiritus sanctus: Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum: sic qui scrutator est majestatis, opprimitur à gloria. Si de modo dicendi, quo sacra Scriptura contextitur, dicat S. Augustinus, quamvis omnibus sit accessibilis, paucissimis tamen esse penetrabilem, quid de supremo earum objecto, qui Deus est, censendum?

2. Procedendum ergo lumine fidei, quod accenditur nobis per ipsius increati luminis revelationem in Scripturis sacris, & cum S. Ambrosio dicendum: Ego te,

Pater æterne, Filiumque tuum, & Spiritum sanctum incircumscriptum, inæstimabilem, inenarrabilemque legi frequenter, credo libenter, & ideo æstimare non possum; ut examinare te possim! vel potiùs relicto examine, & solâ fide credendo, ut te amare super omnia valeam. Monet quidem Spiritus sanctus: Altiora te ne quæsieris: jubet tamen altiora te, Deum nempe: Unum & Trinum amare, cum dicit: *Diliges Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua.* Credimus homini rustico, viro bono & rusticationis perito, de villæ alicujus pretio, & soli bonitate ac fertilitate judicium ferenti, & sententiâ ejus nisi, villam emimus, pretium solvimus, illamque nostram facimus; & Deum de naturæ suæ præstantiâ & amabilitate in Scripturis sacris multa dicentem, nosque ad amorem sui invitantem, an non multò magis audiendum censebimus? Scriptura sacra, & creaturæ ad hoc sunt, inquit S. Augustinus, ut ipse quærat, ipse diligatur, qui hanc creavit, & illam inspiravit; quin & de totius Scripturæ sacræ scientia alicubi loquens: Hæc, inquit, scientia nihil præcipit nisi charitatem; nihil culpât nisi cupiditatem: quidquid ergo ad hoc pertinet, proprium ejus est; quidquid autem ad hoc non pertinet, fictum esse cognoscas.

Quod

I.  
Circa Deum  
ne sis curiosus  
scrutator,

Præv. 25.

Epist. ad  
Volusianum.

2.  
Deus est  
qui est.  
1. sal. 101.

Quod si Scripturæ sacræ locum, & sententiam aliquam à me quæris, quæ omnium maximè ad excitandos in cordibus nostris amoris ignes facere mihi videatur; ex multis unum seligam, quæ ad gustum meum facit; illa est, quæ Deus dicit Moysi: *Ego sum, qui sum.* quam expendens S. Augustinus, ait: Hoc est nomen tuum, hoc est totum quod vocaris; non est tibi nomen ipsum esse, nisi quidquid est aliud, tibi comparatum inveniretur non esse verè. Hinc est quod S. Ambrosius ibi suprà dicat, fieri injuriam Deo dum rebus creatis comparatur, etsi preferatur: Ego te, Pater, si majorem omnibus dixero, injuriosè te tuis operibus comparavi.

3.  
Quomodo  
provo-  
cet amo-  
rem no-  
strum.

2. Deus amando infinitò se ipsum, exemplo suo quàm maximè ad omnem amorem in se solo collocandum nos provocat: ipse suam infinitam essentiam vi intelligendi infinita à se indistincta comprehendit, ad hujusmodi comprehensionem nos non invitat, quam beatis spiritibus quantumcumque sublimibus negatam scimus: imò cum ad illum propius cognoscendum accedimus, videtur tenebras ponere latibulum suum, verumque esse experimur quod dicit Clemens Alexandrinus: Deus res quædam est, captu ac venatu difficilis, semper re-

cedens, & à persequente procul se semovens: at verò, ut ametur, suo illo infinito quo se amat amore nobis præt, & ut aquila ad volandum pullos suos, ita nos ad amandum, cum ipse totus sit charitas, mirum in modum appropinquantes allicit, & sibi adherentes artissimis vinculis ligat. Hoc advertens S. Augustinus, exclamat ille: O æterna Veritas, vera charitas, & chara æternitas! ad te suspiro die ac nocte. Suspirat, & istis suspiriis obtinet quod quærit, evadit cor ejus admirabile divini amoris domicilium, ac post mortem ab incorruptione servandum Angelo traditur. Sigiberto deinde Episcopo Lugdunensi post longas preces ad impetrandum aliquid reliquiarum sancti Augustini ad Deum fufas pyxide crystallinâ auro gemmisque distinctâ inclusum ab eodem tutelari Angelo donatur, ac dum in hymno *Te Deum* in gratiarum actionem decantatur, ad illa verba *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, palpitare & exaltare conspicitur Deo ad tanti viri celebrem in amore sancto memoriam hominum animis imprimendam, in corde ejus post quinque amplius annorum centurias tam admiranda amoris divini argumenta manifestante, Dum ille viveret à Trinitatis comprehendendo mysterio à puero cocleari totum mare in exiguâ

E e e 3. fossam

fossam exhaurire satagenti deterretur; non verò ad illa infinitæ charitatis divinæ, quàm proximè poterat, accessione, à qua tantòs amoris ignes concepit, repellitur.

4.  
Etiam ut  
Trinus.

Non tantùm Deus Unus, sed & Trinus nobis luculentum amoris exemplum præbet. Amat Pater Filium, amat & Filius Patrem: & Spiritus sanctus amor est, à Patre Filioq; mutuâ sui dilectione productus; amant se Spiritu sancto, qui propterea nexus ac vinculum Patris & Filij appellatur: arctissimum vinculum, & quò arctius, eò suavius, & deliciofius, quod Patrem & Filium non in unam tantùm voluntatem, sed in unam quoque naturam & Deitatem devincit, vinculum indissolubile, quod nulla discordia, nulla mors unquam divellet. Ad simile quidpiam per Spiritus sancti gratiam aspirare possumus; cum enim Spiritus sanctus sit Charitas increata, & omnis charitatis initium, primus amor, & sancti magister amoris, ejus motu instinctuque ad amorem nostrum augendum niti ferri que meritò possumus, & hoc sanctissimum inter Patrem & Filium charitatis vinculum, quantum potest humana mortalitas ejus auxilio imitari.

P. Alvarez  
de Paz l. 3.  
3. p. decada  
10. Cap.  
89.

5.  
Etiam in  
operatio-  
nes ad ex-  
tra.

Jam si amorem totius Trinitatis ad extra conspicis, quàm excellentia per omnes res creatas exempla reperies! Verè dixit Ger-

son Deum optimum, unam omnibus vocem quodammodo indidisse, Amo. Quid verò mirabilius, quàm Patrem ita mundum imundum, ingratumque dilexisse, ut Filium suum daret: ita verò Filium in amando tam perfido ac perduelli inimico cum Patre concurrisse, & mortem acceptasse, & Spiritum sanctum cum duabus personis in tanti amoris contestationem conspirasse. Verè dictum à Joanne, *Deus charitas est*: verè dictum à Nazianzeno: Si quaeratur quid sit Deus, Charitas est, eumque ait hoc nomine maxime delectari: delectemur & nos, & charitatis erga ipsum & proximum viscera induamus.

#### CONSID, XXIV.

##### *De beneficiis Dei, quibus ad ejus amorem allicimur.*

**H**Amoris est beneficentia; sed si non amares, nisi illa præcederet, Deum non amares, sed quod ab illo in tuum eommodum redundat boni: talis est canum in Dominos amor, talis infantulorum in nutrices, talis parasitorum in beneficos & lautos ad mensam invitatores: si beneficiis bene uti vis, ibi amorem tuum ne siste, sed ad ipsum unde fluunt mentem attolle, & ex illis quam

6.  
Quomo-  
do ama-  
das Deum  
ob benefi-  
cia.

quàm bonus sit agnosce, eumque propter tam insignem naturæ præstantiam, quam tanta beneficiorum profusio testatur, singulari amore prosequere: à rivulis quibus ille prata tua irrigat, ad ipsum fontem ascende; ibi amantem redama, & te vicissim in gratiarum effunde, quas talis bonitas meretur, actionem. Si amare pigebat, inquit S. Augustinus, saltem redamare non pigeat: nulla enim major est ad amorem invitatio, quàm prævenire amando, & nimis durus est animus, qui dilectionem si nolebat impendere, noluit rependere.

De Cate-  
chizandis  
rudibus c. 4.

2.  
In quibus  
considera

Confidera ergo in beneficijs Dei ea quæ consideranda monet S. Bernardus: Vide quo modo, inquit, imò sine modo à nobis Deus amari meruit, qui prior ipse dilexit nos, tantus, tantum, & gratis, & tantillos & tales, ego tria tantum obiter discutiam: nimirum, Quis, Quantum, Qualibus beneficis fuerit.

Quis det.

Quis? Deus scilicet, qui nominari potest, æstimari non potest; qui nullius indigens seipso felix, ut beneficeret, hunc mundum condidit, quod solo naturæ lumine duce vidit Seneca: qui Lucilio suo scribens; rogat, quæ Deo mundum faciendi causa fuit? & respondet: Bonitas. Bonus est. Bono nulla cuiusquam boni invidia est: fecit itaque quod op-

Epist. 64.

timum potuit: in quo postremo Dei omnipotentiam ignorasse se ostendit. Quod verò tanta majestas, & tam felix, ad homunculos demerendos ita se effuderit hoc demum plurimum habet admirationis. Alexander Macedonum Rex gloriari solebat, à nullo se beneficijs victum: cujus in hoc factum retudit Diogenes, cum sibi ab illo nec dari quidpiam posse ostendit nec eripi. Hoc solum Deo competit, cujus omnes auxilio indigent, & cujus Majestas ad infimos quosque juvandos benignissimè descendit. Alphonsus Aragonum Regem celebrat Historiæ, quod militis vulnus sudario suo obligarit; quod, ut rustici hominis prolapsus sub onere asellum sublevaret, ex equo descenderit, & cæno alitè se induerit: auget scilicet hoc beneficium regia dignitas, quæ beneficiendi desiderio eousque se demisit. Sed quid hæc ad Deum, ejusque in homines propensam munificentiam? Dixit aliquis, solius sapientis esse, beneficia conferre; nec à stulto se accepturum. Habemus in Deo, Majestatem, Omnipotentiam, Beneficentiam, cum summa Sapientia conjunctam; quin ergo ob ingentia ejus in nos collata dona, tam excellentem benefactorem omni benevolentia, amoreque, & grati animi significatione prosequimur?

Quan.

2.  
Quid de  
tunc.

Quantum verò beneficiorum cumulum in nos congefserit, quis recenscat? Cælum, terram, maria, orbem universum conspice, & velut primum illorum atomum intueberis: ab æterno tibi bene voluit, in tempore quod voluerat munificentissimè est executus, & ut loquitur Propheta, coronavit te in misericordia & miserationibus, ut in quæcumque oculis conjeceris, occurrentem plenâ manu tuum benefactorem aspicias, ut bene æstimatâ Dei in nos indulgentiâ consteamur necesse est, nos illi in delicijs fuisse & esse: neque enim necessitatibus tantum nostris à Deo provisum est, usque ad delicias amamur. Hoc vidit Gentiû Philosophus Seneca & alij. Jam si ad Incarnationis Christi, & redemptionis humanæ beneficium contemplantum assurgimus, meritò cum Augustino sentiemus, qui pro tantis beneficijs Deum non amat, duplicem infernum mereri. Idem est cœlitum judicium; nam sanctorum aliquis dixit aliquando S. Brigittæ: Si pro una hora, qua in mundo vixi, mortem pro Deo sustinuissem, ac iterum reviviscens, idem pertulissem, nec sic amor Dei erga me correspondere potuissem. Sed & B. Agnes eidem sanctæ pro aliquo Episcopo deprecanti dixit: Si quid pro eo Deus fecit, quodvè ei impendit,

ipse attente perpenderet, nunquam Dei amor in ejus pectore extingueretur. Quin & sanctus Petrus memor beneficij, quo post trinam negationem à Christo in amicitiam receptus fuit, ut ad totius orbis conversionem nec labori, nec vitæ vellet parcere, nec coram tyrannis, vel inter flagella mortemque ipsam posset oblivisci, ut ipse S. Brigittæ dixit, addens Deum in mente, & ore, & opere dulcem sibi semper fuisse & reliqua præter Deum amara. Tantum potest ad amoris ignes excitandos, conservandosque unius beneficij pro dignitate ponderatio.

Jam quales sint, in quos tam plenâ manu sua Deus beneficia conferre videamus: Homo quilibet, si corpus spectes, totus à natiuitate morbus secundum Democritum, cujus sensum probare videtur Hippocrates, saccus vermium, & sordium, quas oculere & terræ infodere jubeantur Israëlita, dum in deserto peregrinarètur, ne castra inficeret: si Reges, & Principes faminas miramur, quòd erga homines leprâ fœdissimâ contaminatos, quos horrere solent mortales, tam humaniter se habuerint, ut aliqua earum saniem è naribus, alijsque ulceribus exsuperint, ut Cuanus, qui leprosum hoc factò sanavit Catharina Senensis, & S. Kave-

CONSID. XXV.

De via ad amorem Dei per desideria & petitiones.

Kaverius: alij verò illos in thalamo collocarint, ut Elizabetha Princeps fœmina; alij in humeros sustulerint, vestemque regiam sanie resperferint, ut Eduardus Angliæ Rex; quâ quæso admiratione supremæ Majestatis, sub quâ curvantur qui portant orbem, erga leprâ peccati omnibus morbis longè fœtentiore infectos humanitatem & munificentiam prosequemur? Verum non hîc sistit divina Bonitas, non solum viles & miseros, sed etiam inimicos, & perduelles, beneficijs suis locupletat, & quod mirabilius est, eos quos donis à se collatis in sui dedecus & opprobrium, & benefactoris injuriam abufuros prævidet: undique, ut Seneca, humano generi convicium fit, publica querela est beneficia, perijisse: & paucissimos esse qui de bene merentibus non invicem pessimè mereantur: & cum ex eo genere simus, filij Enoch, hoc est obliviosi, & ingrati, nos tamen Deus optimus beneficijs obruit, ut fiat, quod ait Sapiens, vincat Sapiencia malitiam, & tanti amoris excessu, & in benefaciendo perseverantia nos ad amorem sui provocet: hamus enim & magnæ amoris est beneficiorum assiduitas.

REtè S. Bernardus hanc <sup>Epist. 78.</sup> <sub>1.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>2.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>3.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>4.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>5.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>6.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>7.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>8.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>9.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>10.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>11.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>12.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>13.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>14.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>15.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>16.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>17.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>18.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>19.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>20.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>21.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>22.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>23.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>24.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>25.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>26.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>27.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>28.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>29.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>30.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>31.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>32.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>33.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>34.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>35.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>36.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>37.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>38.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>39.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>40.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>41.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>42.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>43.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>44.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>45.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>46.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>47.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>48.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>49.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>50.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>51.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>52.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>53.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>54.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>55.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>56.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>57.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>58.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>59.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>60.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>61.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>62.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>63.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>64.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>65.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>66.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>67.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>68.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>69.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>70.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>71.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>72.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>73.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>74.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>75.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>76.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>77.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>78.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>79.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>80.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>81.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>82.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>83.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>84.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>85.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>86.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>87.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>88.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>89.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>90.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>91.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>92.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>93.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>94.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>95.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>96.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>97.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>98.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>99.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup> <sub>100.</sub> <sup>Amor augetur desiderijs.</sup>

1. Itaque aspira, sed magis corde, quàm ore: valentiores enim voces, ut ait S. Gregorius, desideriorum, quàm verborum: dic ergò cum Davide: *Diligam te Domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, & liberator meus:* Hebraicè Racham desiderium intensum ostendit, quasi diceret: *Amem te, Domine, ex intimis visceribus meis.* Dic cum eodem: *Quid mihi est in celo, & à te quid volui super terram?* Hebraicè, *tecum socium non volui super terram.* Dic cum Sponsa in Canticis: *Trabe me post te, & curremus in odorem unguentorum tuorum.* Dic cum Samaritana: *Domine da mihi*

Ffff hanc

*hanc aquam, ut non sitiam in æternum: Da mihi aquam quæ fiat in me fons salientis in vitam æternam: aqua nimirum est gratia, & charitas.*

2.  
necensis.

*Vvadingen  
in Annal.*

2. Noli esse contentus simplicibus desiderijs; sed ad hunc amorem obtinendum offer quantum potes: imitare Maffæum socium S. Francisci, qui ut virtutem aliquam, quam in S. Francisco advertebat, à Deo impetraret, precibus ardentem insistens, ab Angelo rogatus, quid ad eam obtinendam dare vellet, duos oculos obtulit, quo ardore id est assequutus, ut Angelus illi diceret: Habebis quod petis, & nullum oculorum amittes. Imitare S. Bonaventuram, cujus sunt hæc ad Deum aspirationes: Tu te mihi dedisti, & à me cor meum petis; sed quantum est hoc, Domine

*In simulo  
divini  
amoris  
p. 2. c. 3.*

mi, qui tam excellens es? Si haberem cor majus omnium simul hominum cordibus, & Angelorum affectus, & quod plura corporalia & spiritualia contineret, quam cælum empyreum, ipsum totum tibi tribuere deberem, & adhuc tanto Domino munusculum parvum & quasi nihil esset; quanto magis illam parvam scintillam cordis, quam habeo, tibi dabo, & totaliter in te ponam: hoc enim per maximum est mihi, quod cor meum habere dignaris: nonne ego stultus essem, si de

cætero applicarem alicui creaturæ, cum Deus meus velit illud habere? & jam nolo in meipso remaneat, sed volo totaliter requiescat in te, qui creasti illud ad laudandum te: melius est ut cor meum inaneat in æterna jucunditate, in divina Majestate, & immensa bonitate, quam in mea fragilitate; in tua Deitate quam in mea iniquitate. Si hoc habere, inquit, Contemplative, multum cupis, multum corde desideres, & multum ore postules, & desiderium animæ tuæ tribuet tibi Deus, & voluntate tuâ non fraudaberis; sed mentem elevans in se, benedictionibus dulcedinis te præveniet, & tanquam coronâ lapidis pretiosi semetipso mentem tuam circumdabit.

Neque desideranti & hoc modo postulanti negabit sui amoris Deus; qui ultrò clamat: *Ignem venimittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur?* Verum est, hunc ignem donum esse Dei: hoc ut nobis altè animis nostris imprimat, dicit S. Augustinus: *Prorsus donum Dei est diligere Deum; sed audi quid adjungat; imple ut diligeretur donum dedit, qui non dilectus dilexit.*

Cogita ergo illum tibi dicere quod Samaritanæ: *Si scires donum Dei, & quis est qui loquitur tecum, tu forsitan petisses ab eo, & ille dedisset tibi aquam vivam;* quam deinde



Inde petenti libenter & copiosè exhibuit, dum illam fide illuminavit, & ab illicito amore abductam, ad veram Dei dilectionem traduxit.

3.  
Adjuncta  
aliqua  
mortifica-  
tione.

Quòd si ad tuam petitionem aliquam corporis castigationem adjungas, ô quantum hac via, ad obrinendum quod postulas, momenti adferes! S. Thomas, ut in difficilibus quæstionibus lumen acciperet, ad orationem jejunium adhibebat, & tu ad gemmam charitatis omni scientiâ pretiosorem dono impetrandam aliquid laboris, aut pœnæ non libens absorbebis? Procius in Belgio dum puellam ambit in conjugem, cum ab illa audiit se demum voti sui competentem fore, si iter Hierosolymitanum conficiat, & confectæ peregrinationis testimonium luculentum referat, conditionem accipit, laborem tam longinquæ viæ animosè exhaurit, & conjugio potitur: Tu, qui Regis supremi filiam charitatem tuam facere desideras, ut ad eam tibi dandam Patrem inelines, an non omnia tibi pertentanda, & devoranda meritò existimas?

Sermon 2.

Audi Sponsam in Canticis tam pretiosæ gemmæ cupidus mortalibus dicente mi: *Si dederit homo omnem substantiam pro charitate, quasi nihil despiciet eam.* Vide quid profana cupiditas in Sichemi filio, quid obtinendæ Michol in Davi-

de fecerit, & si tantum virium habuit cœnosa, & fugitiva voluptas, quid à te impetrare debeat divinæ charitatis laudabilis ambitio?

An non meritò idem sentire debes, quod amoris divini desiderio incensus David, dum dicit: *Sicut desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima ad Deum fortem vinum?* An non legisti Lysimachum? Siti accensum pro aquæ turbidæ haustu regnum prodegit, & tu si verè divinæ charitatis siti laborares, an non cætera, quibus detineris, à te continuo, ut illam assequeris, abjiceres?

Hanc socordiam in miseris mortalibus fert Deus ægerrimè, & per Prophetam conqueritur, quòd derelicto fonte vivo, fodiant sibi cisternas dissipatas, quæ siti extinguendæ continere non valent aquas: conqueritur præterea non tantum apud homines in amore & desiderio non esse, sed prorsus in oblivione: cumque puellæ regularum suarum ut ornamenti capitis & fasciæ pectoralis recordentur, è contra apud populum suum in perpetua sint oblivione. Flebat hoc quotidianis lacrymis Jacoponus, & cum rogeretur à fratre, cur id ageret, respondit: Quia Amor non amatur: imò quia non desideratur, non postulatur, sed quasi res parvi

4.  
Excussa  
omni so-  
cordia.

Jeremias.

momenti oblivioni traditur. Tu si sapias ab hoc insanorum numero te exime.

CONSID. XXVI.

De Amore Dei puro & simplici.

I.  
Amor purus.

Cap. 12.

VT ad hunc amorem perveniatur, à multis facibus, & vinculis cor humanum purgandum est, & expediendū: de utroque impedimento hinc agemus. Facies voco quidquid quisque nostrum ab amore nimio sui, rerumque terrenarum immunditiæ contrahit: expurganda sunt hæc omnia, si amori Dei locum dare volumus: *Mundamini*, ait *Isaias*, qui fertur *vasa Domini*; quanto magis cor purgandum, ut charitatis, quæ vasis Domini longè pretiosior est, domicilium esse possit: nos ipsi si liquor pretiosus vasi infundendus est, illum diligenter prius tergi purgarique volumus; hinc est illud sæpè ab *Augustino* repetitum, Funde ut implearis. In speculo impurgato rerum imagines intueri non possumus, ait *S. Maximus*, & cor nostrum Spiritu sancto, qui amor, implendum illustrandumque non speremus, nisi peccati carnisque affectiones, ut facies sordidesque Deo odiosas abijciat. Unguentum sua-

ve & optimum est amor Dei, inquit *Basilius*, quomodo Deus illud in cor faculentum infundet. De senibus, qui à quotidiano aspectu deambulantis *Sufannæ* in concupiscentiam ejus exarserunt, dicit *Scriptura*: *Everterunt sensum suum, & declinarunt oculos suos ut non viderent celum*: neque enim possumus simul videre superiora, & oculos in ima fugere: unum relinquo oportet, ut altero fruaris.

Solitarius jam provectæ virtutis, & Deo charus, quotidie albo pane miræ suavitatis mirique saporis cælo ad ipsum delato alebatur: vanæ gloriæ titillatione à Deo parum abiit, & in seipsum revolutus est: exinde remissior factus, cogitationibus habenas laxans, etiam sordidis inter cæteras locum dedit; unde & panem aliquantulo sordidiore accepit. Admiratus est, & tristior intellexit inde discordiam suam argui, & cordis immunditiam sibi representari: nec tamen inde resipuit, & fædas imagines sibi objectas, uti parebat, non rejecit; unde tertio die panem sordidissimum, aridissimum, & quasi à muribus, vel canibus corrosum super mensam invenit: scilicet contaminatæ conscientiæ tale debebatur alimentum; neque enim candor cælestis commiseritalibus impuritatibus poterat, & amor purus impuri cordis cloacâ detestatur. Sed

3. Amore proprio tenetur homo & necesse de vita beata.

Sed aliunde etiam præpeditur amor ne ad Deum, ut par est, evolet; habent ejus inimici vincula, quibus volutum ejus impediunt, & in inferioribus captivum detinent: ubi jam adhuc lætamur, nec omne amoris proprii vinculum exuimus; habemus quòd amor iste sanctus in actibus suis retardetur: alij, inquit Philosophus, alligati sunt, alij astricti, alij districti; hic qui ad superiora progressus est, & se altiùs extulit, laxam catenam trahit, nondum liber, jam tamen pro libero.

Longè meliùs Apostolus, *Vbi Spiritus Domini, ibi libertas*: Spiritus sanctus scilicet, qui amor est, hominem in libertatem asserit, ab omnibus amoris proprii, quantum fieri potest in hac vita vinculis expeditum: quid enim deesse potest homini extra omne desiderium posito? quid extrinsecus opus est ei, qui omnia non in se, ut ait Seneca, ex fastu stoico, sed in Deo collegit? Demetrius Cynicus eousque Philosophum sapientem extulit, ut negaret sapientem egere; quin & ipse ita contra omnia desideria pugnabat, ut quod sibi interdixerat habere, interdiceret & poscere: sed ista vanæ gloriæ tintinnabula, aut potiùs, ut Tertullianus vocat, mancipia non moremur; dicamus solum amorem Dei purum & simplicem Deo solo contentum esse,

ibidem.

ibidem.

& dicere cum Propheta: *Quid mihi est in celo, & à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternū.* Simplex multis rebus fugitivis se implicat, sed ab omnibus se explicat; & in unum Deum omnia colligit, pro Deo & propter Deum, omnia agit, oculo vigili, sed simplici in eum semper intentus: ut meritò dicere possit cum sancto Francisco; Deus meus, & omnia. & cum sancto Augustino hoc unum rogare: Inspira in me opus sanctum, ut te cogitem; compelle ut faciã; suade ut te diligam; confirma ut te teneam; custodi ne te perdam; quia nimirum simplex, & indivisum cor in unum Deum suspirat & aspirat, & in eo conquiescit.

Purus amor & simplex, hujus vitæ felicitas est, quia bonum summum, quo felices in hac vita efficiamur, cum tranquillitate possidet: nulla cor hujusmodi amoris domicilium turbare, nulla inquinare potest cogitatio; rectè enim Marcus Eremita. Quemadmodum ignis in aqua durare non potest, sic nec fæda cogitatio in corde Deum amantis: qui per amorem Deo conjunctus est, & in cor Dei quodammodo receptus extra teli jactum est; & contra hujus vitæ tumentes fluctus non vulgari anchorâ utitur; cum enim secundum S. Thomam se-

4. Purus amor est felicitas hujus vitæ.

curitas nihil aliud sit quàm à timore perfecta animi quies, qui unum Deum purè & simpliciter amat, quid aliunde timere potest, cum invito nemo Deū possit eripere?

Demetrius Antigoni filius Megarâ captâ, Stilponis domum indemnem servari voluit. Admonitus Stilpo, ut rerum, quas amisisset, indicem daret respondit nihil se perdidisse. Idem dicit amore puro & simplici præditus, qui cum Deum habet, omnia habere se existimat. Hinc Petrus Ravennas: Ama, ô homo, Deum; sed ama totus, ut possis omnia sine labore vincere. Potes, inquit S. Augustinus, aurum perdere & nolens, potes domum, potes honores, potes ipsam carnis salutem; bonum verò, quo verè bonus es, nec invitus arripis, nec invitus amittis: Atqui hoc bonum est Deus, qui amore puro & simplici ac rebus creatis impermixto possidetur. Bias omnibus amissis dicebat: Omnia mea mecum porto: pectore enim illa gestabat, non humeris, ut ait Valerius Maximus, nec oculis vidèda, sed æstimanda, quæ domicilio mentis inclusa, nec mortalium, nec Deorum manibus labefactari queunt. Melius & luculentius S. Paulus dum in certamè quidquid ubique est, quodammodo provocans exclamat: *Quis nos separabit à charitate Christi?*

*De verbis  
Domini.*

Ut ad hunc amorem purum & simplicem pervenias, obruta aditus, quò inferre se solent ea, quæ puritatem hanc inquinant; aures in primis occlude, vel spinis muni, aut potiùs athletas imitare, quibus munimenta quædam aurium, quas *αμφορίδας* appellabât, apponere ad ictus evitandos, in more positū fuit. Oculos vela. ne variæ rerum imagines aliquid amori puro damnosum imprimât: sed super omnia supra cordis custodiam invigila; & audi Sapientem; *Omni custodia serva cor tuum.* Vide an aliqua re delecteris, & non Deo vel propter Deum. Quamdiu possum, inquit S. Bernardus, ex aliqua alia re consolationem aut jucunditatem accipere, nondum audeo dicere dilectum nostrum intimum ardentissimi amoris sinum possidere: & S. Bonaventura fratri ad purum amorem aspiranti pro fundamento hoc assignat, ut omnem omnium creaturarum consolationem desperet.

#### CONSID. XXVII.

*De amore magnanimo, forti, & generoso.*

**T**Ria hæc distinguo. 1. Nazianzenum sequor dicens: In iis rebus, quas audacter aggre-

aggredi convenit, magnum & præfidentem animum gerere magnanimitatis est; sicut è contrà languere, ac periculum detrectare, timiditatis, & ignavia. 2. Sequor S. Augustinum, apud quem lego fortitudinem esse amorem omnia propter Deum facile perferentem: atque hæc duo hoc modo distincta lego apud S. Thomam, apud quem virtus sive magnanimitas, est summus conatus virium nostrarum ad agendum; fortitudo verò summus conatus ad sustinendum. 3. Generosum voco amorem dignum genere suo, unde ortum trahit, Deo nempe, ac inter amores maximè nobilem ac cæteris præstantem: ita vina generosa dicimus, quæ aliis præstant; & virtutem generosam Tullius dicit, quæ quidquid serpit, statim respuit: jam hæc tria in amore sancto ad imitationem accendam consideremus.

2. *Exempla ex vet. Testamento.*  
 Amoris magnanimi naturam in variis, quas sacræ paginæ nobis suggerunt, exemplis in promptu est cognoscere: habemus Davidem pro tuenda Israëliti nominis dignitate Deiq̃ honore ingentibus animis capitis discrim. singulari cum Goliatho certamine aduentem: habemus Moysen cum obstinato Rege Ægypti pro libertate populi decertantem: habemus Daniele inter calentes vino Regem, ejusq̃ ministros,

extremam omnium perniciem tribus verbis obvolutam clarè, & intrepidè denuntiantem: habemus eundem apertâ fenestrâ observantibus æmulis contra legem de capite ab Imperatore latam, Deo supplicantem, & ob id in lacum leonum coniectum: habemus tres pueros Regis Chaldæi divinitatem affectantis furorem, & minaces flammæ globos contemnentem: habemus denique Matthathiam ejusq̃ profapia ingentes in bellis animos, & trophæa de prostratis hostibus erecta: ut quicumque amoris magna aggredientis & constanter exequentis pro Dei gloria patriq̃ salutem intrepidi; & vitæ prodigi exempla desiderat, ab ipso supremo numine in istis sacris paginis posteritati ad imitationem expressa & commendata reperiet.

3. *Ex novo.*  
 In novo Testamento ubi Christus vexillum magnanimitatis erexit, quid non aggressi sunt Apostoli, qui nomen Christi portarunt coram Regibus, & populis & linguis? quid non eorum imitatores, Athanasius contra fidei & Trinitatis perduelles, Basilius contra Valentem, Gregorius contra Julianum, Ambrosius contra Arrianam Jezabelem, contra similem Chrylostomus, & sexcenti alij, quos amor in Christum magnanimus & fortis ad auden-

L. 1. de moribus Manisf. 615.

Cyprius. 61. de dilect. 615.

2. Tullius.

2. *Exempla ex vet. Testamento.*

1. Amorem magnanimi.

audendum supra humanam conditionem, & ad ferendum supra mortalis hominis infirmitatem excitavit: cumque hæc omnia omnium oculis exposita legantur, unum tantum non ita decantatum, excellens tamen & ratum hic considerandum proponam. Anastasius Imperator audiens Episcopum quendam Oeniandum nomine, virum eloquentiâ & sanctimoniâ celebrem, sed hæreticorum, quos fovebat Imperator, adversarium esse maximum, eum promissis ad suas partes trahere conatus est: sed vir sanctus: Tu potius, inquit, ô Imperator, ad orthodoxos transi, ne dum impiorum hominum Severi, Eutychis, Dioscori opiniones amplecteris, æternis ignibus addicaris. Simul que Imperatoris chlamydem apprehendens: Hæc vestis, ait, te post mortem, Imperator, non sequetur; sed pietas, & virtus: Ecclesiam, quam redemit Christus sanguine suo, vexare desine: indoctus es, nec Ecclesie decreta intelligis, imposturis tantum, & scurrilibus calumniis terres: satis tibi dignitatis sit, quod Imperator es: antistites Ecclesie vexare noli. Obmutuit ad hæc pudore suffusus Imperator: Episcopus verò licet pauperrimus ne obolû quidē ab Imperatore accipere voluit; libertate ac magnitudine Christianâ fidei dumtaxat ac pietatis ra-

*Sigenius*  
l. 16. hist.  
Imp. Occ.

tionem habens, terrenaque calcans omnia.

Jam quis amor fortis sit videamus; cumque hic in gravibus & acerbis pro Christo perferendis consistat, facile assequi ratiocinando possumus, mollitiem cum hujusmodi amore non posse consistere, qui duris & asperis alitur, & augetur. Hanc compendiosam ad amoris perfectionem viam dicebat esse S. Pater Ignatius. Ridebat Deus, inquit Tertullianus, dissecabatur malus (id est diabolus) cum Job immundam ulceris sui redundantiam magnâ æquanimitate distringeret, cum erumpentes inde bestiolas in eisdem specus & passus foraminosa carnis ludendo evocaret. Cur quæso inde voluptatem capiet Deus cætera mansuetissimus? quia nimirum cor patientis amoris igne succensum, ab istis doloribus hujus sui amoris alimenta sumebat. Arborea, inquit S. Chrysostomus, quod magis à ventis agitantur, eò sunt fortiores & densiores. Idem homini Deum amanti accidere existimemus; Amorem fortem rupi, quæ fluctibus tunditur, & erecta semper in cælum verticem suum porrigit, rectè comparaveris, quam nec tonitrua & fulgura, nec undarum latratus, nec incumbentes ventitantillum movent, ut possis inscribere pro elogio. Nec fulmine, nec

4.  
Quisite  
tis.

C. 14.

5.  
Ejus sym-  
bolum.  
In Epist.  
ad Romanos

nec flamine, nec flumine: resistit enim istis omnibus, ut dura cautes unaquæ intractabilis: imò secundum S. Chryostomum, quò vehementiore impetu in illam fluctus ruunt, eò magis infringuntur & disparent: ea enim improbitatis simul & virtutis natura est, illa dum bellum infert, opprimitur; hæc dum bello vexatur, clarius effulget. Hominem Dei amantem, ut columnam depingit S. Gregorius Nazianzenus, dum S. Hieronem alloquens: Ita te geris, inquit, ut fortitudinem velut in columnâ sculptam omnibus spectandam proponas. Amor ille sanctus ubi homines ἀγαπᾷ, ut vocat Chryostomus, invenerit, animæ inconcussa, eos ferèdo firmiores, sublimiores, invictos, & inexpugnabiles reddit. Adde ut alibi vocat, adamantinos, quòd duritiâ adamantem imitentur, cujus natura ferro & ignibus est inexpugnabilis, utriusque semper victrix, ut ait Plinius.

Cùm satis hæc esse possint ad amoris sancti generositatem declarandam, non possum tamen non eam illi appingere, quam Sapientii suo tribuit Seneca. Generosa, inquit, res est, conari alta, tentare, & mente majora concipere, quàm quæ etiam ab ingenti animo adornatis effici possunt: qui sibi hæc proposuit: Ego mortem eodem vultu audiam, quo

videbo: ego laboribus, quantumque illi erunt, parebo, animo fulciens corpus: ego divitias, & præsentis & absentis æquè cõtemnam: ego fortunam nec venientem sentiam, nec recedentem: ego terras omnes tanquam meas videbo, meas tanquam omnium; ego sic vivam, quasi sciam me alijs natum, & naturæ rerum (hoc est Deo) hoc nomine gratias agam: quo enim genere melius negotium meum agere potuit? Unum me donavit omnibus, uni mihi omnes. Ego amicis jucundus, inimicis mitis & facilis, exorabor antequam roget, honestis precibus occurram. Utinam, qui Deum fortiter generoso amore prosequi conamur, ad ista nos conformaremus!

CONSID. XXVIII.

Quomodo per amorem fiamus similes Deo.

**T**Ritum est illud Philosophi: Amor similes inventit, aut facit; rogavit aliquando Clemens VIII. unum è Cardinalibus suis, quos in administratione muneris publici maximè probaret; respondit ille, qui Dei viva sunt simulacra, aliquos similes reperiri existimans. Modus eò perveniendi duplex est: unus petendo, Gggg alter

I.  
Amor si-  
miles fa-  
cit.  
Henric.  
Farnos. de  
Principe.

Sermone 8.  
de Iejunijs.  
7. mensis.

2.  
Petendo.

alter ad id omnem cum Dei gratia, contentionem animi adferendo. Primum insinuat nobis S. Leo interpretans verba illa Petri 1. *Sancti estote, sicut & Pater vester celestis sanctus est.* Præcipit, inquit, sanctitatem, & modum ejus acquirenda: quasi diceret Deus: Me diligite, & ab ijs quæ mihi displicent, abstinete: facite quod amo, amate quod facio: & cum difficile esse videtur quod jubeo, ad jubentem recurrite, ut unde datur præceptum, præstetur auxilium; non negabo opem, qui tribui voluntatem: & dum Christus pollicetur Patrem cælestem daturum spiritum bonum petentibus se, satis ostendit, ad obtinendam aliquam cum Deo similitudinem, quam spiritus ille bonus secum adfert, supplicatione gradum fieri.

Hom. 10.  
in Hexam.

3.  
Vt simus  
Dei simili-  
es est no-  
stræ indu-  
striæ.

Jam verò quid industriæ & contentionis Deo, auxiliante, ad rem tam excellentem assequendâ adferre possimus, inspiciamus. S. Basilii qui dixit Christianismum in Dei similitudine consistere: *Ex creatione, inquit habemus, quod simus secundum imaginem Dei: voluntate acquirimus, ut simus secundum similitudinem; additque id Deum nostræ industriæ diligentiaque reliquisse, ut ad nos aliquid inde honoris redeat: cum enim imaginem aliquam egregie ad Protolypi imitationem depi-*

ctam intuemur, non tam imaginem quàm pictorem laudamus; quò itaque, inquit, miraculum meum fiat, mihi reliquit, utin similitudinem Dei fiam. Si verb quæris ab illo quomodo ista Dei similitudo, quam miraculum appello, acquiratur: acquiris, inquit, eo ipso Dei similitudinem, quò bonitatem assumis. Magni viri, ajebat Petrus Aldobrandinus Cardinalis, non nascuntur: sed virtute fiunt: quæ scilicet, quod in Deo præstans est, quantum cum Dei gratia possumus æmulari conamur, ad quod nos exhortatus Apostolus, dicens: *Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi.*

Deus sibi sufficit, seque ipso beatus est: ita esto tu solo Deo contentus: nimis avarus est, cui Deus non sufficit: non potest res te inferior reddere meliorem aut beatiorum; onerare potest, felicitare non potest; ad id quod supra te est, & ad bonum bonorum ascende, illi te conjunge, illo fruire: periére superbus Angelus, & deceptus homo, qui aliâ viâ ad beatitudinem grassari voluerunt.

2. Deus in sui contemplatione, amoreque conquiescit, nullius alterius contubernium requirit; & tu cum Deo, quantum potes, conversare; alterius, ut animum televs, societatem ne ascisce: intra potius in gaudium Domini tui

4.  
Si nobis  
Dicitur  
est.

5.  
Si nihil  
aliud  
omnis pro-  
tec ipse.

6.  
Si sis  
mutab  
per co  
stancia



tui: fac ut Philosophi dictum; qui de solitario dixit, eum aut Deum esse aut bestiam; approbes, & vera Dei imitatione Deum aliquem in terris, ubi aliud charitas non exigit, repræsentes.

Id assequeris si Arsenium imiteris: hic ab Abbate Marco requisitus, cur ad eum fugeret homines, respondit: Scit Deum quia diligo homines; sed cum Deo pariter & hominibus esse non possum: supernæ virtutes unius sunt voluntatis, homines verò & multas habent voluntates & varias, & ob hoc Deum relinquere, & cum hominibus esse non possum. Unde & alius ex illis sanctis in eremo solitarius, cum viso homine, fugeret, & ille alter clamaret: Expecta me, quia propter Deum te sequor: respondit ille: Et ego propter Deum te fugio. Sed ne in hoc solitudinis amore contra charitatem peccemus, audiendus est S. Augustinus: Otium sanctum, inquit, charitas veritatis, negotium iustum suscipit necessitas charitatis, quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati.

l. 9. de Civit. 19.

6. Si sis immutabilis per con-stantiam.

Deus est immutabilis: Ego Deus, inquit, & non mutor; quàm magna, & multa in hoc mundo Deus operatur, unus semper & in se indivisus, & imperturbatus. Huius immutabilitatis consideratio

ne animabat se Gregorius Nazianzenus, dum ab æmulis Constantinopoli exagitaretur: Duo hæc, inquit, superari nequeunt, Deus, & Angelus; tertius Philosophus in materia materiæ expertus, in corpore incircumscriptus, in terra cælestis, in passionibus impatientis, omnibus rebus vinci se ferens præterquam animi magnitudine: Philosophum verò se appellat Gregorius, quia sapientia, & virtutis, Dei que se amatorem, & imitatore[m] profitebatur. Hinc & Epictetus noluit ab eo quod semel fuit, mutari; pauper erat, oblatas divitias recusavit; servus erat, libertate donari noluit; existimans, ait Simplicius ejus interpres, omnem humani animi perfectionem conversione ad Deum, ejusque conjunctione absolvi, & consummari.

4. Deus in gubernatione mundi imitandus: extra munificus, & in se tranquillus. Rector universi Deus, inquit Seneca, in exteriora quidem tendit, sed tamen in totum undique in se redit: idem nostra mens faciat, cum se ad externa porrexit, sui potens ad se redeat, & devinciât sibi summum bonum; quod ipsum est fons omnium honorum: semper cum tranquillitate fluens, inexhaustus: ita tu quidquid habes nec fardidè tibi serva, nec sine judicio prodige: semper ante oculos ha-

7. Si libera-  
lis.

Gggg 2 bc

be illud : Beatius est dare quam accipere, & munera tua, non numero aut pondere, aut accipientis aestimatione, sed ut Deum dumtaxat imitearis, & pro illo, & propter illum in alios expendere.

8. *Si patiens.* 4. Patientiam ejus imitare, ut monet Tertullianus, qui florem hujus lucis, inquit, æqualiter super justos & injustos spargit, sustinens ingratisissimos, ludibria actuum & manuum suarum adorantes, nomen cum familia ipsius persequentes, luxuria, avaritia, malignitate, iniquitate quotidie insolescentes: ut sua patientia sibi ipse detrahat: plures enim idcirco Deum non credunt, quia sæculo iratum tamdiu nesciunt. Si aliquando cum Davide, & Elia alijque divini honoris zelatoribus tabescis & zelo tuo aliquid concedendum putas, etiam Deum in hoc imitare, & sis, ut monet S. Augustinus, ita criminis persecutor, ut sis hominis liberator.

*Epist. 52.*

*De Trinit. l. 8. c. 6. Et serm. 266. de semp.*

5. Denique ita homines ama, ut Deum illos amasse, & amare conspicias. Ama improbos ut boni sint; ama probos, quia boni sunt: qui enim, ait Augustinus, amat homines, illos debet amare, aut quia justus sunt, aut ut justus sint, sic enim te ipsum amare debes, aut quia justus es, vel ut justus sis, hoc enim est Deum amare in proximo, aut quia in illo, aut ut sit in illo.

## CONSID. XXIX.

### De diffidentia sui, & confidentia in Deo.

**V**T ad hanc amoris sancti perfectionem citius & securius homo perveniat duabus aliis opus est. 1. Ut de se diffidens omnia putet se posse in eo qui eum confortat, adeoque à se abiciat suarum virium præsumptionem, & pusillanimitatem. 2. Ut consuetudine erga Deum animi grati significatione novos semper ex illo omnis boni fonte rivus aperiat. De primo hinc agemus, de secundo proxima consideratione & ultima sicque triginta considerationibus finem imponemus.

Primo ergo charitatem rem tam sublimem esse tibi persuade, ut ad illam pertingere viribus tuis non possis. Petrus dum ad Christum super aquas graditur, ad venti flatum male apprehensum, submersionis periculum incurrit; deinde dum sibi præfidens inter vitæ discrimina amorem in Magistrum testari vult, & quid ei accidat præses observare, ad vocem ancillæ in exitium ruit: an tu ad Christum per tot amoris proprii oppositos fluctus & flatus, & ad ejus amorem perrepturum te putas, nisi tibi diffidens ad id Dei auxi-

1. Amor acquiritur diffidentia sui.

Sine qua amor non potest acquiri.

auxiliatrice manu proveharis? Mulieri in Apocalypsi dantur alæ duæ ut volare possit; sponsa in Canticis non ascendit nisi innixa super dilectum suum, & tu quomodo sine alis, aut divino fulcimine ad charitatem, quæ Christianæ perfectiōnis supremum cūlmen tenet, temerarius evadere, eamque obtinere te posse existimas? Non acceditur, inquit Augustinus, ad altitudinem Dei nisi per humilitatem, & cui propinquat subditus, longè ab eo recedit elatus: per humilitatem ad sublimia gradus est. & S. Gregorius: Nisi quis à seipso deficiat, ad eum qui supra se est, non appropinquat. Sed neque sine diffidentiâ sui amor Dei conservatur, nisi enim illa fuerit præposita, apposita, opposita, & postposita, omnia ex manibus extorquet superbia. Propter jactantiam, inquit S. Ambrosius, Phariseus illa etiam quæ jam habuerat, amisit: nihil ei tot genera virtutum uno vitio decolorata profuerunt. Homo dum sibi sufficere confidit, ab eo, qui verè ei sufficit, deficit. Si à S. Basilio, S. Paulino alijsque humilitas conservatrix custosque virtutum habetur, multò magis charitatis, quæ virtutum regina est. Dicitur est aliquando à Tullio: Nervus, atque arcus sapientiæ, est non temerè credere: & hoc quidem, si de nimis facile

erga alios credulitate agitur, merito probatur; sed multò magis habere locum debet contranimitiam de viribus nostris, sapientiæque, aut industriæ, præfidentiam, præsertim cū de cælestibus donis aut habendis, aut conservandis, qualis est charitas, quæstio instituitur.

Sed quantum per tui diffidentiam à te recedis, tantum oportet, per filiorum cordibus inditam à Deo confidentiam ad Deum ipsum accedas: Quomodo enim, qui præcepit, ut diligas Deum tuum ex toto corde tuo, & inferiorum pœnas minatur si non feceris; tibi deerit, si ejus gratiæ confisus ad illud præceptum implendum te accinxeris? Scio, & credo Christo dicenti: Non potest homo accipere à se quidquam, nisi fuerit ei datum de celo; sed etiam cū dicentem audio: Ego sitiienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis. Et postea: Qui sitit, veniat, & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis. Scio non obvenerum hoc donum segni & vecordi, cū mox addatur: Qui vicerit, possidebit hæc, & ego ero illi Deus, & ille erit mihi filius. Satis etiam intelligo naturam gratiæ, de qua ut rectè ait S. Leo: Gratia si non datur gratis, vel accipitur, gratia non est. Scio animam quæree Deum non posse, nisi præveniatur, ut quærat. Utamur ergo ad hunc a-

morem

3. Sed confidentia in Deo.

Ioan. 3. Apoc. 2.

2. Nec conservari.

In sententiâ. Hom. 32. in Evangelio.

In P. sal. 43

Propter in sent.

Ep. ad Galatiam.

4.  
Anchora  
duplex ad  
eum obti-  
nendum  
spes in De-  
am.

morem obtinendum duplici anchora, ut monet Epictetus: nec enim, inquit, navem unâ anchorâ, nec vitam spe unâ niti decet, & pedibus & votis ea perambulanda sunt, quæ fieri possunt: à Deo is petendus & omnino sperandus, & ad te etiam cum Deo ejusque gratia aliquid adferendum. Primò te totum in Deum projice: etsi enim sanissimus tibi sit oculus, videre tamen sine subsidio lucis non potes: scis Deum Patrem luminum, scis Filium lucem esse mundi, in tenebris es, nisi ab illis radios suos communicantibus collustreris. Nosti te pestilenti frigore à primiparētis lapsu afflatus, cælestem flammam concipere non posse, nisi ignis ille cælestis te accendat. Noli tamen in hac cognitione obtorpescere: altius mentem attolle ad illum, qui dat omnibus affluenter & nihil impropert, cujus Filius nos ad audendum excitat. Petite & accipietis; cujus vates invitant: *Accedite & illuminamini, & facies vestra non confundentur.* & alter ejus præco: *Respicite,* inquit, *Filij nationes hominum, & scitote, quia nullus speravit in Domino.*

Imò verò cur tam multi ad Deum accurrentes non fuerint confusi, rationem solam adfert Propheta; quia speraverunt in illo: *In te speraverunt,* inquit, *Patres nostri: speraverunt, & non sunt confusi.* Hinc

Mathathias dum animos filiorum morti proximus ad propugnandas leges patrias, ac in Deo sperandum accendit, ubi multa exempla qui sperantes in Domino ab eo auxilium, viresque contra res adversas, hostesque formidolosos acceperunt, præmissaque sunt honestati; adfert tandem hoc epiphonema: Et ita cogitate per generationem & generationem, quia omnes qui sperant in eum, non infirmantur: atque hæc est prima anchora, quam Apostolus vocat firmam & tutam, & ad quâ confugere Hebræos suos hortatur.

Alia anchora est tua cum Dei gratia ad hunc amorem consequendum diligens cooperatio: Nulla enim, ait Ambrosius, sine labore virtus, quia labor processus est virtutis. Voluit Deus asinam in oblatione permutari ovem: asina laboriosum animal, ovis fructuosum: quia fructus laborem sequitur: Quære ergo Dominum, quære in noctibus, quære in cubili: vult enim te omnibus invigilare momentis, vult januam mentis tuæ patentem invenire: explorat si cor vigilat, excitat dormientem; mittit manum per cavernam, ut surgat, & si serius surrexerit, derelinquit: vult ut quærat, etsi pallij amittendi ac verberum periculosè exponat; donec tandem inventum teneat, nec dimittat

5.  
Et cooperatio  
tua.  
L. 1. de Gen  
& Abi.

mittat amplius. In his omnibus, diligentia in amante quaerendo praemia, & negligentia damna depingi Patres existimant, quae utinam eorum animis, qui se amoris divini candidatos profiterentur, altius infiderent: plures germanos, & sinceros Dei amatores habemus. Hanc utramque anchoram in rebus agendis adhibuit S. Pater Ignatius, qui tantam diligentiam providentiamque ad eas ex sua parte attentus adferebat, quasi ex se uno, suaque vigilantia & conatu res tota penderet; atque ita deinde Deo ejusque bonitati omnia committebat, ac si nihil ad earum felicem successum attulisset. Damnavit aliquando Deus solitarium, qui cum ab altero sene viro sancto ad alicujus virtutis consecutionem preces postulasset, ipse sua socordia eorum fructum impediabat.

CONSID. XXX.

*De gratis Deo agendis.*

**I**ngratum animum odere & bellux. Notae sunt Leonum in Andronicum, Gelasium repensae pro beneficio accepto vices, quarum exemplum etiam vidit saeculum nostrum, cum Leo in America cum alia bellua dimicans adjutus a Lusitano, cum deinceps,

quasi valor patronum & defensores secutus est; & cum in Europam redeuntem exclusus a navibus comitari non posset, nando benefactorem profecutus est, donec fluctibus haustus periit.

Cum primo beneficium accipimus, perpetuam spondemus ejus memoriam, & cum Davide dicimus: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo: paulatim deum obliviscimur, vel naturae vitio, vel voluntatis.* Tiberius Caesar, cum quidam illi diceret: *Meministi: antequam plura proferret: Non memini, inquit, quid fuerim: solam praesentem fortunam aspici, & narrari volebat: quam multi illi similes: cum tamen eos pessimos & ingrattissimos vocemus, qui eo devenere, ut obliviscantur.* Ingrati & immemoris poena apud Persas constituta fuit teste Xenophonte, & Philippus Macedo ingrati hospitis frontem stigmare inussit.

Vt ergo tam invisum, & exosum Deo vitium, qui Deum revereri, & amare volumus, evitemus, videamus, quae sint gratianimi partes, ut illas diligenter impleamus: quinque mihi videntur: 1. Beneficia agnoscere. 2. Aestimare. 3. Gratias habere, & agere. 4. Referre. 5. Nunquam oblivisci: atque harum exempla ex Davide gratissimi animi Vate & Rege petamus.

1. Vi-

2. Et nobis fit.

L. 4. de beneficiis.

In vitiis PP.

1. Fecit gratitudo cordi est.

3.  
Beneficia  
agnoscen-  
do.

Psal. 70.

1. Vide quomodo beneficia agnoscat, quæ etiã à paucis agnoscuntur, & cum gratiarum debita actione recoluntur, ut notat Bellarminus: nempe protectionem Dei ex utero matris, cum Deum invocare non posset: *In te*, inquit, *confirmatus sum ex utero, & ventre matris meæ tu es protector meus*: quomodo verò sigillatim exponit, dum dicit: *Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus*; omnes, inquam, etiam minimas, quas non semel tantum tribuit, sed retribuit, & unam super aliam exaggerat: quas & duplicis generis agnoscit, scilicet à malis liberationem & à peccatis, & quæ illa comitantur, & consequuntur: deinde bonorum omnium congeriem: Propitiatur, inquit, iniquitatibus, sanat omnes infirmitates, redimit de interitu. Deinde verò coronat in misericordia & miserationibus, & replet in bonis desiderium.

Psal. 102.

4.  
Æstimando.

2. Quam verò illa æstimat, qui solam sui memoriam apud Deum admiratur, & summi beneficij loco reponit: *Domine quid est homo, quod memor es ejus?* imò & omnes ad id æstimandum invitat: *Consistemi*, inquit, *Domino, & memoria sanctitatis ejus*, quasi diceret: agnoscite, æstimate, laudate memoriam sanctam ejus, quod rem tam vilem & sordidam dignetur tam sanctam memoriã, nec illam velut

indignam abjiciat, quod & sanctus Franciscus maxime æstimavit, & Daniel, dum prandium in lacu leonum accepit, est admiratus.

3. Quas gratias habeat, agatq; notum est; habet dum beneficij memoriam gratã mente retinet, recoliq; illudque magni æstimat, & quando verbo, vel signis exterioribus beneficium deprecatur, seque obstrictum testatur, tum gratias agit. Maximas tibi ago, inquit Tullius, majores etiam habeo: & promiscuè unum alteri adjungit, subjungitq; ut dicat: *Maximas tibi gratias & agere & habere debemus, & alibi habere & agere se dicit*: quid portò hac in parte à nobis Deo deferendum sit, doceat nos idem Prophetæ Regius: *Quoties illum dicentem audimus: Confitebor tibi Domine in toto corde meo?* quæ verò est hæc confessio nisi laudis & gratiarum actionis, quam altè cordi impressit, & linguã deprecatur?

4. Quam verò in referenda gratia sit sollicitus, vide: ipse se ipsum interrogat: *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?* & cum satis nosset Deum omni bonorum copia circumfluentem nullius egere; dixissetque, *Deus meus es tu*; scio quia bonorum non eges: tria se facturum pollicetur corde, scilicet, ore, & opere gratias se relaturum, a-  
liof.

5.  
Gratias  
agenda.

6.  
Pro bono,  
Pro malo.

7.  
Nunquam  
oblivisceris  
do.  
Psal. 102.

De in

8.  
Omnia  
Deo u  
bonor  
fonti  
cepta  
ferend

hosque omnes ad idem faciendum se provocaturum. Exultabit, inquit, cor meum in salutaribus; cantabo Domino qui bona tribuit mihi, psallam nomini Domini altissimi; quasi diceret; Gestiet cor meum ob salutis à te obtentæ beneficiū; illudque ore deprædicabit; & manu atque opere citharam pulsando me memorem & gratum testificabor.

7. Nuncquam oblitendo. Psal. 144.  
 De invent.

5. Denique memoriam æternam pollicetur: *Laudabo*, inquit, *Deum in vita mea; psallam Deo meo, quamdiu fuero. Exaltabo te Deus meus Rex, & benedicam nomini tuo in seculum seculi.* monetque alibi animam, ut ab oblivione beneficiorum sibi caveat: *Noli oblitesci*, inquit, *anima mea omnes retributiones ejus.* & meritò, quia, teste ipso Tullio, nemo gratiarum immemor, est gratus inventus.

Duo insuper ad grati animi significationem erga Deum observanda mihi videntur.

8. Omnia Deo ut bonorum fonti accepta referendo,

Primum, ut omnia ab illo velut ab omnium bonorum fonte, in nos derivari beneficia existimemus. Dixit aliquando Tranquillinus Martyr Agestio Præfecto, à quo ad adorandum solem tanquam erga mortales beneficium invitabatur, idem illum agere, ac si navibus frumenta adferentibus, non verò Regibus beneficium annonæ esset adscribendum. Sed & S. Augustinus

monet, ut dum aliquid ab homine accipimus, ad hominis conditionem mentis oculos elevemus; cum enim homo ipse sibi salutem adferre non possit, cur dum aliquid salutare ab illo accipimus, non potiùs ad Deum, unde rivulus iste profluxit, quàm ad hominem, qui canal is dumtaxat est, oculos reflectimus.

Alterum est in rebus difficultibus, & facilibus parvis magnisque hoc unicè spectemus, ut nimirum pro beneficiis grati simus, quod à primis Christianis exegisse videtur S. Paulus, dum in omnibus gratias eos agere voluit, & abundare in gratiarum actione. S. Pater Ignatius cum linguam non calleret, & nihilominus eum ad rudes principis fidei instruendos charitas urgeret, dicebat: *Conferram in Dei laudem hoc quidquid est, quod ut illi redderem, ab eo accepi.* S. Cyprianus, ubi lecta illi fuit de capitis diminutione sententia, respondit: *Deo gratias.* hortatur propterea S. Augustinus, ut verba illa *Deo gratias* semper usurpemus; & S. Hieronymus, ut semper dicamus *Benedictus Deus*: mirum est tanti saporis fuisse breves illas gratiarum actiones, ut Augustinus dixerit, nec audiri lætius, nec intelligi grandius, nec agi fructuosius aliquid posse: & nostris temporibus extiterit vir sanctus, qui millies uno die illa

9. In rebus difficultibus gratitudinem proficendo, Ad Thess. 5.

Sap. 77. Sup. Eplam. ad Ephes.

Hhhh repe-

repetierit. Sed & Ecclesia mater à Spiritu sancto instructa in sacrificio Missæ proclamare profiterique Sacerdotē gravissimis verbis voluit invitato ad idem præstandum adstante populo, dignum & justum esse nos semper & ubique gratias agere. Quis, quæso, hoc assequatur ? nisi sit ex istis quos describit paucis sanctus ille

eremi incola, qui divinitus quantus esset Pater Ignatius, quem ante animo despexerat, edoctus, multa dixit sapienter, ac inter alia hoc à Patre Bartolo citatur; mundanos facere circulum, & ab amore sui ad amorem creaturarum verti, & ad Deum redire, utroque in circuitu ambulare, malos malo, bonos bono.



Differ.